E S. RITUUM CONGREGATIONE

PLOCEN.

Relatum fuit Sacrae Rituum Congregationi morem extare in Dioecesi Plocensi atque in nonnullis aliis Poloniae Dioecesibus, quo in Missis cum cantu sine ministris diacono et subdiacono, organarii qui et cantores sunt, solum responsa celebranti, uti *Amen* — *Et cum Spiritu tuo*, exequuntur latino sermone; et dum alia, uti *Introitus* et *Kyrie*, omittunt, reliquo Missae tempore varias cantilenas vernaculas devotionem foventes et non semper Missae consonas cum organi sonitu cantant. Hinc expostulatum fuit ab ipsa Sacra Congregatione:

I. Utrum praedictus usus cantilenarum adprobari vel saltem tolerari possit?

II. Utrum in Missis cantatis sine Ministris Sacris, organarii et chorus debeant semper exequi cantu vel voce intelligibili cum organo omnes partes ex Graduali Romano?

Et eadem Sacra Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibusque perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Obstant Decreta, praesertim in una *Bisarchien.* 31 Ianuarii 1896.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 25 Iunii 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*
S. R. C. Praefectus

L. ✠ S.

DIOMEDES PANICI *Secretarius.*

Reformatum nobis commissum est evulgare, quod attinet *dubium primum*, decretum

QUEBECEN. (1)

1. An Titularis festum alicuius Ecclesiae, a die 31 Decembris ad quintam Ianuarii occurrens, habeat Octavam ?

Ad 1. *Negative.*

NOTITIA

Per Rescriptum, ex Audientia SS.mi, die 13 Mensis Iunii vertentis anni, S. R. C. renuntiavit Praesidem Commissionis pro revisione Operum Cantus Gregoriani, et ab Eadem S. R. Cong.ne dependentis, R.mum Dom. Augustinum Accorramboni Archiepiscopum Eliopolitanum, pro R.mo Dom. bo : me : Aloisio Ricci Canon. Patriarchalis Basilicae Liberianae. Per alia Rescripta adsciti quoque sunt in componentes praefatam Commissionem Equites Andream Meluzzi, sacri concentus magistri Cappellae Iuliae in Basilica Vaticana, et Philippum Capocci sacri item concentus Magistri in Patriarchali Basilica Lateranensi.

---

(4) Decretum istud datum fuit die 13 Decembris 1896. Vide *Ephemerides* illius anni, pag. 66.

ARCHAEOLOGIA SACRA

(Contin. num. praec. pag. 337 et seqq.)

De Christianae Religionis propagatione.

1. Christiana Religio fines Iudaeae statim praetergressa, in nationes diffusa est, ita ut eius mirae propagationi vix crederemus, nisi de ea certae fidei testimonia haberemus scriptorum ecclesiasticorum et ethnicorum, antiquitatis inventis confirmata.

Romanorum fides brevi celebris evasit, ita ut D. Paulus ipsis scribens dixerit: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo* (Ep. ad Rom. I, 8). Quis vero primus aeternae Urbis incolis Evangelium tulerit nescimus, quamvis ex illis advenis Romanis fuisse videatur, qui die Pentecostes Hierosolymae fuerunt *(Act. Ap. II, 10)*. Anno autem quadragesimo secundo adest Romae Princeps Apostolorum, et quidem cum multis asseclis, nam Svetonius testatur Claudium Roma Iudaeos expulisse perturbationum auctores, causa *Chresti: Iudaeos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes Roma expulit*. Conserta iam erat pugna cum Synagoga, quae videns Christi asseclas in diem crescentes, suspicari coepit et ubique in Apostolos et eorum discipulos saevire. Aliquot post annos S. Paulus epistolam ad Romanos scribit, cuius in fine salutem dicit multis fratribus, qui ceteris excellebant, et in alia epistola christianam religionem iam imperatoris domum ingressam demonstrat (1). Interea caedes Christianorum a Nerone est facta, quorum *ingens multitudo*, ut refert Tacitus, a monstro illo horrendo perempti sunt (2). Quibus verbis ethnici scriptoris in-

(1) *Salutant vos omnes fratres, maxime qui de* **Caesaris domo** *sunt* (Ad Philip. IV, 32).

(2) Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut perdenda confluunt celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum *multitudo ingens*, haud

sanivit quidem ex rationalistis pauperculus scriptor, qui exterritus sententiam tandem tulit : Non esse Tacitum genuinum scriptorem, sed falsum nomen scriptoris Medii Aevi (1). Risum teneatis, amici !

Eodem tempore, quo Romae, tam mirè etiam in aliis imperii partibus christiana religio disseminata est, ut locorum traditiones et pro aliqua regione haud dubia documenta testantur. Nam S. Paulus Puteolos attingens in illa christianos invenit : *Et post unum diem, flante austro, secunda die venimus Puteolos, ubi inventis fratribus, rogati sumus manere apud eos dies septem* (Act. Ap. XXVIII, 13, 14). Anno millesimo octingentesimo sexagesimo secundo Pompeii inventa est inscriptio, in qua inter alia obscura, haec verba leguntur : *Audi Christianos.* Sub annum centesimum decimum secundum Plinius iunior in Asiam Minorem profectus provinciam recturus tot Christianos reperit, ut maximae partis illarum regionum Religionem esse christianam cognoverit, et ideo ad Traianum Imperatorem scripserit :... *neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros istius... contagio pervagata est.* Ea propter fana deserta remanent; sacrificia raro offeruntur :.... *prope iam desolata templa coepisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti ;* sed difficile invenitur aliquis, qui carnes victimarum emat, ut sacerdotes sustententur : *victimas adhuc rarissimus emptor inveniebatur.* Prosequitur dicens, Christianos istos ad omnem statum vel ordinem, ad quamcumque dignitatem pertinere, utriusque sexus esse: *Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur.* Quamobrem quid sibi agendum nesciebat Plinius, si enim christianos secundum legem puniisset, provinciam in solitudinem redegisset. Cui Traianus notissimum illud responsum dedit : non esse quaerendos Christianos ut punientur, delatos autem et convinctos esse secundum legem pu-

---

perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt (Annales XV, 44).

(1) *Hochart, De l'authenticité des Annales et des Histoires de Tacite*, Bordeaux, 1890.

niendos : a Religione vero deficientes libertate donandos *(Epist. L. 10, epist. 97 et 98)*.

In Asia et in Phrygia christiana Religio floret et fideles Lugdunenses fidelibus illarum partium scribunt epistolam commoventem, et enarrant martyrium, quod passi fuerant plures fratres.

Si maiorem documentorum numerum haberemus, ea quoque proferremus, sed, superstitibus innixi, possumus absque formidine errandi asserere, christianam Religionem exeunte saeculo secundo late iam propagatam in Asia, in Africa, in Propontide, in Ponto, in Aegypto, in Britannia, in Gallia, in Hispania, in Italia, tandem in toto Romano imperio. Quod est tam verum, ut scriptor incredulus, hostis capitalis christianae religionis, confiteri debuerit : *centum quinquaginta annorum spatio prophetiam Christi esse impletam, et granum sinapis factum iam esse arborem, qui mundum texerit* (E. Rénan — *M. Aurèle et la fin du monde antique, pag. 446)*. Haec propagatio crevit tertio saeculo, et Tertullianus audit Ethnicorum querelas dicentium, Christianos omnia infecisse : *Obsessam vociferantur civitatem, in agris, in castellis, in insulis Christianos.* Et queruntur quod omnes huiusmodi superstitionem sequantur : *Omnem sexum, aetatem, conditionem et iam dignitatem transgredi ad hoc nomen quasi detrimento moerent* (Apologet. cap. 1). Et revera ita multiplicati erant Christiani, ut potuerit ipsis Ethnicis dicere : *Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis relinquimus templa* (Ibid. cap. XXXVII). Et orationem convertens ad Scapulam, Carthaginis praefectum, qui Christianos persequi volebat, ita ait : *Hoc si placuerit et hic fieri, quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac foeminis, omnis sexus, omnis aetatis, omnis dignitatis, offerentibus se tibi? Quantis ignibus, quantis gladiis opus erit? Quid ipsa Carthago passura est, decimanda a te, cum propinquos, cum contubernales suos illuc unusquisque cognoverit, cum viderit illic fortasse et tui ordinis viros et matronas, et principales quasque personas, et amicorum tuorum vel propinquos*

et amicos? Parce ergo tibi, si non nobis. Parce Carthagini, si non tibi. Parce provinciae (Ad Scap. V).

Origenes tradit, christianam Religionem non solum totum imperium occupasse, sed eius etiam fines praetergressam fuisse (Hom. III. contra Celsum II.). Unde dici potest illud Tertulliani dictum: *Fiunt Christiani, non nascuntur*, fine tertii saeculi non amplius fuisse verum. S. Ambrosius pluribus in locis affirmat, Senatum Romanum maxima ex parte fuisse christianum: *Curia maiore sane Christianorum numero est refecta*; quod probatur quoque ex eo quod anno tercentesimo quinquagesimo octavo totus senatus fuerit pro Papa Liberio contra Felicem. Iure igitur scribit Allardius *La persécution de Dioclétian, in Histoire des Persecut.*, paucas iam fuisse Provinciales civitates in quibus Christianorum numerus non praecelleret. Quae quidem illustris historici verba monumentis inventis in variis mundi partibus confirmantur. Nam inventae sunt in Taurica Chersoneso (Crimea) multae cryptae christianae, et a septentrionibus antiquae Chersonae quaedam basilica christiana. In Chersoneso christiana religio sub Diocletiano triumphaverat, et in monetis anni ducentesimi nonagesimi sexti et anni tercentesimi tertii, egressis ex officina monetaria Cotorsis, signum crucis impressum conspicitur (Cf. De Rossi *Bull. d'Arch. Crist. an. 1864*).

Alia quoque addimus ex historia deprompta. Exeunte saeculo secundo, Edessa regnum est christianum sub Abgaro VIII (*Euseb. Hist. eccl. I. 13*). Quaedam civitas Phrygiae est tota christiana una cum magistratibus (1). In Thracia unus ex decurionibus Heracleae non solum est christianus, sed etiam clero adscriptus. Porphirius (*saec. III.*) adversus Christianos scribens, de quadam civitate loquitur, cuius nomen tacet, quae tota christiana erat.

(1) Urbem quamdam Christianorum in Phrygia, milites armati obsidione cinxerunt, iniectoque igne totam, una cum viris et mulieribus ac parvulis Christum omnium Deum invocantibus, concremarunt. Hanc scilicet ob causam, quod universi eius urbis incolae, et curator ipse, ac magistratus cum honoratis omnibus ac plebeiis Christianos se esse professi, sacrificare iubentibus nullo modo obtemperabant (Ibid. VIII. II).

Et hic consistimus, nam iure possumus concludere, Christianam Religionem non fuisse tribus prioribus saeculis perpauco hominum numero coarctatam, et potentem deinde factam conversione et praesidio Constantini. Minime sane; cum enim Constantinus Religionem christianam amplexus est, haec iam potens, iam in toto imperio et extra illud diffusa, iam asseclas omnis gradus recensebat. Tandem Christiani si non absolute maxima pars, eo tamen numero erant, ut si voluissent, imperii pagani iugum excutere potuissent. Quae revera rerum adiuncta Constantinus bene perspexit, et christianum in semetipso imperium effecit.

2. Placuit Rationalistis et placet, christianam Religionem ostendere tamquam *pauperum motum;* unde, iuxta eorum sententiam, tribus prioribus saeculis fideles erant infima faex populi, et pauci, ni nullus, ex nobilibus, potentibus et doctis hanc religionem amplexi sunt. Ista, scilicet, recensebat pauperes, servos et alios huiusmodi, qui eius promissis decepti libenter nomina dabant, ut intolerabile, quo opprimebantur, iugum excutere possent. E contra nobiles et potentes non poterant benevolis oculis illam intueri, quae, aequalitatem praedicans, eorum dominatum coerceret, ipsisque servum et mulierem aequaret, qui erant, alter res quaecumque fructifera, altera voluptatis instrumentum. Nolumus tamen negare, eorum theoricem aliquid veri habere. Nam christianae Religioni aliquid peculiaris et novi erat, quod aequalitatem ferret, ac proinde tanti faceret animam nobilissimi ac potentissimi hominis, quanti animam miserrimi egeni. Curabat igitur et servum, curabat et mulierem et puerum, ipsos quoque honore dignos docens. Aliud quoque considerandum, nimirum, christianam Religionem non esse solum theoricem, sed institutum morale et quidem rigidissimum, quod potentibus parum arridebat, qui multa negotia tueri deberent, dum contra facile susciebatur a pauperibus, quibus nihil esset amittendum. Unde S. Paulus dicit: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles* etc. (1 ad Cor. I, 26).

His sapientibus, his nobilibus, his potentibus non poterat

arridere religio, quae libidinum refraenationem praedicabat, animi abiectionem volebat, et terrenarum rerum abdicationem imperabat (1). Sed ex difficultate factum concludi non potest, secus enim ipsi historiae contradicitur. Non desunt enim documenta, quae probent inde ab initio Ecclesiam fuisse ingressos illustres viros, qui non solum eius doctrinas amplexi sunt, sed pro illis etiam vitam donarunt. Non loquimur hic de doctis, de philosophis, qui, antiquis scholis relictis, Salvatoris philosophiam secuti sunt; plures enim ex iis fuisse in Ecclesia, ipsorum quae adhuc legimus opera testantur. Aliquid vero dicemus, ut probemus inde ab initio multos nobiles, multos potentes Religionem christianam fuisse amplexos. Fatendum autem inventa antiquitatis nonnulla documenta nobis attulisse, quamvis non tot quot expectari poterant. Nam scimus ex historia multos viros potentes, illustres, amplexos esse religionem christianam ac pro ipsa vitam donasse, sed inventa antiquitatis de hoc praecipua argumenta non suppeditant; quod ceterum, necessarium non est. Huius autem duplex ratio assignatur, quia, scilicet, multi non operam dabant sepulcris suis inscriptionibus exornandis, et quia multae inscriptiones perierunt omnino aut nondum inventae sunt. Ita, exempli gratia, Itinerarium Salisburgense nobis tradidit pulcherrimam inscriptionem cuiusdam *Sancti Liberalis clarissimi viri* (2), quae nondum inveniri potuit, et forsitan est omnino destructa.

Ceterum nonnullae adhuc supersunt inscriptiones, in quibus habetur laus *clarissimi viri* (*V. C.*) *et clarissimae foeminae* (*C. F.*), sermo, scilicet, est de viris ac foeminis senatorii gradus: earumque exempla inferius feremus. Et hoc, ut puto, sufficit ad ostendendam falsam Rationalistarum thesim, vera autem relata verba Plinii et Tertulliani, interfuisse, nimirum, christianis viros *omnis ordinis, omnis dignitatis*.

(1) Notari etiam potest, in illius temporis Romana societate plebem multo maiore quam nunc civium numero confectam fuisse. Quid igitur mirum si in societate christiana plebeii multo numerosiores quam nobiles fuere? Non poterat aliter se res habere.

(2) Vide inferius inscriptionem.

Inde a Salvatoris et Apostolorum tempore coeperunt ingredi societatem christianam viri nobiles ac potentes, ut patet ex Evangelio, ex Actibus Apostolicis et ex epistolis Apostolorum. Hic motus semper crevit. Adhuc vivo aliquo Apostolo, ramus familiae Caesareae Flaviorum erat christianus, ita ut christiana Religio Caesarum thronum conscensura videretur. Quod tamen Deus non permisit ut clarius innotesceret, ipsam propagatam non benevolis, sed infensis hominibus, non humanam sed rem divinam esse. Haec enim Eusebius habet: *Scribunt, anno principatus Domitiani quinto decimo, Flaviam Domitillam Flavii Clementis eius, qui tunc temporis Romae consul fuit, ex sorore neptem, una cum aliis plurimis ob confessionem Christi in insulam Pontiam fuisse relegatam* (Hist. eccl. III, 18). Quibus historici ecclesiastici verbis maiorem lucem effundunt antiquitatis inventa.

In praedio Amarantiano (Tor Marancia) prodiit cippus confirmans illud fuisse praedium Flaviae Domitillae; legitur enim in stela: *Ex indulgentia Flaviae Domitillae.* Alius lapis docet aream illam beneficio ipsius Domitillae fuisse factam: *Flaviae Domitillae divi Vespasiani neptis eius beneficio hoc sepulcrum meis libertis, libertabus posui.*

Sed in his nobilibus viris quis primus se convertit? Quomodo et cuiusnam opera eorum conversio est facta? Ad haec aeque respondere non possumus. Scimus autem Titum Flavium Sabinum (1) bis fuisse praefectum Urbis (anno sexagesimo quarto sub Nerone, et anno sexagesimo nono sub Octone et Vitellio); iam vero hoc in munere debuit procul dubio Christianorum causam cognoscere, cum huiusmodi id proprium esset. Ex his relationibus forsitan factum est ut magno christianae religionis studio tractus sit, nisi eam amplexatus est.

(1) Flavii oriundi erant a Reate (Rieti) et eorum stirpis primus fuit T. Flavius Petro. In ipsorum genealogia invenimus T. Flavium Sabinum, filium Petronis uxorem duxisse Vespasiam Pollam et ex ea tres filios habuisse, scilicet, Titum Flavium Sabinum iuniorem (de quo hic est sermo), Titum Flavium Vespasianum, qui postea fuit imperator et filiam quae non perennavit (Svet. in Vesp. I).

Illum refert Tacitus (*Hist. III, 65, et alibi*) fuisse *mitem virum abhorrentem a sanguine et caedibus*; quod in publico magistratu vituperabile erat. Ultimis vitae annis haec lenitas eo devenit, ut admiratione sint alii percussi, alii imbecillem cum et vilem dixerint: *in fine vitae alii segnem credidere*. Iamvero scimus iniuriose vocatos esse Christianos, *apathes, inertes, inutiles* etc.: eius vero filium, Flavium Clementem, qui fuit christianus et martyr, dicit Svetonius fuisse *contemptissimae inertiae* (In Domit. 15).

Quae dedecoris notae facile explicantur; difficile enim erat et quasi impossibile viris christianis in dignitatis gradu collocatis suam conscientiam conciliare cum officiis et necessitatibus vitae publicae romanae, cuius fundamentum non solum ad idololatriam pertinebat, sed etiam erat ipsa negatio omnis legis moralis et naturalis. Hic Flavius Clemens uxorem duxit *Flaviam Domitillam seniorem*, consobrinam suam, ex qua duos filios habuit, quos cum Domitianus successores suos designasset, educandos curavit a Quintiliano et nominibus mutatis, vocavit Vespasianum et Domitianum *iuniorem*. A Plautilla, Clementis sorore, nata est filia et ipsa vocata Flavia Domitilla. Isti viri omnes christiani fuere. Domitianus Christianis insequendis incumbens cladem a sua familia incoepit. Flavium Clementem consulem occidi iussit, et Flaviam Domitillam uxorem eius in insulam Pandatariam relegavit. Damnata est etiam Plautillae filia, Flavia Domitilla *iunior*, quae in insulam Pontiam relegata est, ubi, ait S. Hieronymus, *longum martyrium duxit* (Ep. 108, ad Eustoch.). In eadem damnatione comprehensi sunt etiam alii viri clarissimi, ut videbimus. Ratio autem istius damnationis fuit, primum quia erant *molitores rerum novarum*; sed innixus ille, ut Svetonius testatur, *tenuissima suspicione*, maiestatis crimini addidit crimen religionis, ac proinde damnati sunt quia atheismi rei: *propter atheismi crimen* (Dion. Cass. LXVII. 14).

Eiusdem Flaviorum familiae fuit Aurelia Petronilla puella, spiritualis filia sancti Petri. Indubium quoque videtur, celebrem Lucinam aetatis apostolicae non aliam fuisse quam Pomponiam Grecinam, *nobilissimam foeminam*, uxorem Plautii, victoris

Britanniae sub Claudio, quae suspecta fuit, ut refert Tacitus, ab omni civitate, quia, mutatis moribus, *non cultu nisi lugubri, non animo nisi moesto egit* (Ann. XIII, 32). Ita Ethnici iam tum integram ac rectam Christianorum vitam vocarunt. Pomponia Grecina conversa (sub annum quinquagesimum octavum) sumpsit nomen spirituale *Lucinae*, et *ecclesiae fratrum* donavit suum praedium funebre in via Appia, unde Coemeterium Callisti est ortum. Inter inscriptiones huius Coemeterii inventa est quaedam, lingua graeca conscripta, commemorans nepotem illius Pomponii, de quo Tacitus loquitur. Alios quoque nobiles viros furens Domitianus ultioni mactavit.

Complures senatores, in his aliquot consulares interemit (Domitianus), *ex quibus . . . Acilium Glabrionem in exilio quasi* MOLITORES RERUM NOVARUM (Svet. vita Domit. c. 10). Hac formula, ut diximus, a Domitiano Christiani proscripti ac damnati sunt, cui utpote invalidissimae, addidit *atheismi crimen*, quo Christiani designabantur, ut referunt S. Iustinus et Tertullianus.

Acilius Glabrio fuerat Traiani collega consulatus, et anno nonagesimo primo cum adhuc esset consul damnatus fuit ad certandum cum bestiis in Amphitheatro.

Hoc factum animos Romanorum tam movit, ut a Frontone Marci Aurelii magistro, thema exercitationis rhetoricae datum sit (Fronto, ad M. Caes. Ep. V, 23).

Sed erat vere christianus? Dio Cassius id asserere videtur tradens ipsum damnatum cum Flaviis ob eamdem causam. Nostris temporibus omne dubium de hoc est ablatum, invento in Coemeterio Priscillae sepulcro christiano Aciliorum Glabrionum. In ipso inventa sunt fragmenta inscriptionum vetustissimorum temporum. Exempla ferimus:

ACILIO GLABRIONI FILIO	M. ACILIUS V. C. V. *(et)* PRISCILLA C.

id est, *Manius Acilius V. clarissimus vir (et) Priscilla claris-*

sima foemina (1). In alio fragmento lingua graeca conscripto legitur: *Acilius Rufinus vivas in Deo.* In aliis fragmentis legitur

L.
MACILI | AKEI etc.

Nec mirum, si martyrii Acilii Glabrionis nulla extat memoria in Annalibus ecclesiasticis; in his enim non fit mentio nisi de minima parte innumerabilium Christianorum ob fidem interfectorum, et scimus in Diocletiani persecutione incensa esse tabularia in quibus asservabantur acta authentica Martyrum, inter quae forsitan erant etiam acta Glabrionis nostri ac tot aliorum, quorum ex inscriptionibus christianis solum nomina cognoscimus. Ita in alia inscriptione cuius textum nobis *Itinerarium Salisburgense* asservavit, leguntur gesta cuiusdam illustris martyris, cui nomen *Liberalis*.

QVAMVIS PATRICIO CLARVS DE GERMINE CONSVL
ILLUSTRES TRABEAS NOBILITATE TUA
PLVS TAMEN AD MERITVM CRESCIT QVOD MORTE BEATA
MARTYRIS EFFVSO SANGVINE NOMEN HABES
. . . . . .
MYRTYRIS HIC SANCTI LIBERALIS MEMBRA QVIESCVNT
QVI QVONDAM IN TERRIS CONSUL HONORE FVIT
SED CREVIT TITVLVS FACTVS DE CONSVLE MARTYR ETC. (2).

Alia nobis virorum illustrium nomina aliae inscriptiones tradunt:

LVRIA IANVARIA C. F.
CAELIO FELICISSIMO V. E.
CONIVG. KARISS.

(1) Titulus *clarissimus vir* dubitari non sinit viros, qui hic nominantur, fuisse senatoriae familiae, cuius membrum occisum fuit sub Domitiano.

(2) Haec inscriptio extabat in Coemeterio S. Hermetis.

idest : Luria Ianuaria clarissima foemina Caelio Felicissimo viro equestri coniugi carissimo (1).

FLORIAE VERE POMPEIE (*sic*)
E FECIT QVAE VIXCXIT (*sic*)
BENEMERENTI IN PACE (2)

In eodem Callixti coemeterio aliud fragmentum inventum fuit, ex quo colligitur ibi sepultam fuisse quamdam *clarissimam puellam Pompeiam Atticam Caecilianam;* item et *Cassiam Pharetriam ac Petroniam Aurentiam clarissimas foeminas;* nec non *Iulium Gurdabium virum Antonie* (sic) *Leontidi* C. F. (*clarissimae foeminae*).

In alio fragmento fit mentio cuiusdam *Iuliae Domitiae Rufinae*, et cuiusdam *C. Valeriae Laurentiae*, quae fuerunt *clarissimae foeminae*. Ad summam in omnibus cryptis clarissimae familiae romanae repraesentantur. In Callixti Coemeterii antiquiore parte eminent familiae Caeciliorum, Corneliorum, Aemiliorum, Bassorum, Aniciorum etc., ita ut lepide summus De Rossi illud *Coemeterium aristocraticum* vocaverit.

Hic sistimus; plura tamen exempla afferre possemus, illa ex ecclesiastica Historia depromentes. Sed thesis nostra sufficienter probata evasit, ni fallimur. Ad alia transimus, longum enim iter nobis restat.

(iba)

(*Continuabitur*)

(1) Ex Coem. Ostriano.
(2) Ex Coem. Callixti.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE SUPER SACRIS RELIQUIIS.

VII.

Cum nova in quadam ex regionibus exteris creata fuisset dioecesis, novaque proinde a fundamentis erecta Cathedralis Ecclesia, plures in illam ex variis locis delatae fuerunt Reliquiae, quas et approbavit Episcopus, cultuque liturgico per novum institutum festum donavit. Verum haud levis in eo festo prima vice recolendo exorta est quaestio super paramentorum adhibendo colore. Calendarii namque redactor album notaverat, sed Canonici multi rubeo colori favebant. Equidem plures ex sacris Reliquiis, et quidem notabiles, erant Martyrum, easque inter servabatur crus cuiusdam S. Confessoris, eo quia aerumnis confectus supremum diem obierat in exilio. At multo plures, inter quas aliqua insignis, ad Sanctos Confessores et ad aliquas Sanctas Virgines pertinebant. Hinc calendarii Redactor, seu ob maiorem multitudinem Reliquiarum, quae non erant Martyrum, seu ob exemplum a festo Omnium Sanctorum desumptum, album colorem tuebatur; sed pro rubeo stabant alii, quod Ss.

Martyres dignitate ceteris Sanctis praestent. *Quaeritur:*

1.° *Quodnam sit principium dirigens diversitatem colorum in recolendis festis, et quomodo ac qua ratione inter se differant Ecclesiae latina, graeca, imo et ambrosiana?*

2.° *Sanctis, qui aerumnis confecti finierunt vitam, vel ope divina a tormentis liberati naturali morte decesserunt, albus ne convenit, an rubeus color?*

3.° *Quid de colore paramentorum iudicandum, quando plures in aliqua Ecclesia Reliquiae extant, tam de Martyribus, quam de Confessoribus, de Virginibus etc. ut in casu?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Ioannis Crescioli Almi Collegii Capranic. alumni, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 2 Martii 1898; acta Epitome per R.mum Dom. Alphonsum Carinci Apost. Caerem. Magistrum.

I. Quodnam sit principium dirigens diversitatem colorum in recolendis festis, et quomodo ac qua ratione inter se differant Ecclesia latina, graeca, imo et ambrosiana?

Semper et ubique terrarum homines, vestibus variis, sive ad scientiam honorandam, sive ad iustitiam administrandam, sive etiam ad laetitiam vel moerorem significandum usi sunt. Unde nil mirum si et Catholica Ecclesia in augustissimis ministeriis vestibus utitur peculiaribus.

Quem profecto morem ab ipso veteris legis praecepto derivatum optime dicemus; si enim legales caeremoniae nonnisi praeparatoriae fuerunt illarum, quae in plenitudine temporum locum habere debebant, similitudinem maximam praeseferre necesse fuit. Falso tamen dicerentur Sacrosancta Religionis Mysteria, in seipsis quam maxima iam praedita maiestate, externis egere adminiculis, et sane prioribus Ecclesiae saeculis, persecutione fervente, unice ad Sacrificium celebrandum intendebatur cordis puritate, animique fervore, externo neglecto habitu. Quae tamen ad maius decus ex una parte, et ad bonos sensus excitandos ex altera conducunt, optime et in iis adhibentur, quae invisibili sacramento sunt perficienda; unde cum ex his, quae animus novit, facilius surgat ad incognita, quae non novit, ita ex visibili nobilitatis apparatu inardescit animus iamque illa cupit, quae tam nobiliter repraesentantur. Satis ab initio fuit unica vestium decentia; temporis progressu, magnificentiori cultus explicationi respondere debuit et habitus splendor, obsequium, uti par erat, Deo praestando, cunctis, quae admirabilia et aestimabilia mundus, ipso Deo donante, possidet: *Meum est aurum et argentum*, dicit Dominus ex ore Prophetae. Refert Theodoretus, Macario Episcopo Hierosolymitano donasse Constantinum Imperatorem pretiosum auro intextum pannum, ut illo in Baptismi administratione uteretur. Optatus Milevitanus narrat, imperatorem plura misisse ornamenta ad Ecclesias, ab eo vocatas Dei Domus. In Dedicatione celeberrimae Tyrensis Ecclesiae, ann. 313, Eusebius Caesariensis, qui Homiliam recitavit, loquutus est de Episcoporum assistentium ornamentis, ea vocans *Sancta*, eo quod Deus venerabiliores eos ostendebant. *Sanctas* item vestes ipse vocaverat, quas iusserat faciendas Aaron et filiis eius. Iam ante quam sacrae vestes specialiter ad usum religiosum conficerentur, communes illae, quae in sacris obeundis adhi-

bebantur, maxima sibi venerationem vindicabant. Novimus revera Nepotianum presbyterum, nullimode sui studiosum, maximi fecisse tunicam in sacrosancto offerendo Sacrificio adhibitam, ita ut, mox moriturus, eam sancto Hieronymo legaverit, venerationis ergo. At deinceps sategerunt Summi Pontifices et Concilia, ut Missae Sacrificium nonnisi vestibus specialiter sacrae actioni, episcopali benedictione, dedicatis celebraretur, gravibus indictis poenis, si quis usualibus vestibus ad illud accedere praesumpsisse. Iuxta Liturgiam S. Ioannis Chrysostomi, Episcopi singula indumenta benedicebant crucis signo propriaque oratione, quoties illis induebantur. Latini quoque idem faciebant prout videre est in Missa Ratoldi, decimo saeculo scripta.

At ne nimium a nostrae quaestionis proposito aberremus, statim quae colorem sacrorum vestium attingunt inspectemus. Post saeculi IV initium color communiter adhibitus fuit albus : hoc testantur S. Gregorius Nazianzenus, S. Hieronymus, S. Ioannes Chrysostomus aliique Patres (V. Le Brun). Sacerdotes et Diaconos, ait S. Gregorius Turonensis, de solemnitate quadam loquens, albis indutos fuisse vestibus ; Fortunatus, saeculi VI medietate, repraesentat S. Germanum Episcopum Parisiensem omnemque Clerum illius, albo colore indutos ; S. Isidorus scribit Dalmaticam seu vestem sacerdotalem albam fuisse, purpureo seu igneo intermixtam colore. Hoc vero factum est, ut Ecclesia imitaretur Angelos Apocalypsis, qui albis vestibus ornati apparuerunt ; et Sanctos, qui ante thronum Dei astabant *circumamicti stolis albis*. Porro color albus aptus est ad gloriam sacri ministerii ostendendam et vitae innocentiam significandam. Unicus vero color tempore persecutionum usuvenit, non enim facile diversitas haberi poterat, ut patet. Tranquillitate in Ecclesia parta, ad Aaron filiosque imitandos, quibus ipse Deus varietatem praecepit indumentorum ex auro, purpura, hyacintho coccoque

bis tincto et bysso; ad Agnum sequendum velut sponsa ornata monilibus et circumamicta varietate, initio permisit, postmodum praecepit, ut sacrae vestes variis coloribus distinguerentur. Haec vero pulchritudo, quantum decus Sacris adiiciat, quam bene elevet sensus ad Deum collaudandum, nemo est qui non noverit.

Quo tamen tempore colorum diversitas in sacris vestibus recepta fuit in Ecclesia, difficile est dictu. De VI saeculo nonnulla extant documenta. Legimus sane sanctum Augustinum Cantuariensem suum discipulum Leovinum, die quo eum Sacerdotem consecravit, *casulam purpuream* donasse *gloriosi martyrii praesagam*. In abside Oratorii S. Venantii in Baptisterio S. Ioannis in Laterano, a Ioanne Pp. IV extructo, anno 641, videre est S. Venantium cum ipsomet Pontifice opere musivo pictos casula purpurea. Plura id genus Romae inspiciuntur, et sunt opera saeculo X antiquiora, quae Pontifices repraesentant casulis fusci coloris indutos, veluti Honorium I in Basilica S. Agnetis extra muros, vel auro fulgentibus, veluti Paschalem I in Ecclesiis S. Caeciliae et S. Praxedis.

Attamen, quod ex illo permissum est, post saeculum X sanctionem habuit. Et si graeca Ecclesia ad saeculum usque XIII nonnisi album et rubeum colorem adhibuit, album solemnibus diebus, rubeum luctuosis, uti refert Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis et Innocentius III; Latina Ecclesia, iam saeculo XII exeunte, teste eodem Innocentio, praeceperat quatuor colores, iisque reipsa utebatur: album pro Confessoribus et Virginibus, in horum puritatis symbolum, rubeum pro Apostolis et Martyribus ad Sanguinem pro Christi fide effusum significandum, viridem pro feriis et Dominicis minus solemnibus, et nigrum pro Defunctorum commemoratione et pro Adventu, nec non tempore, quod a Septuagesima ad Sabbatum Sanctum usque decurrit. Niger ergo color tum symbolum erat si-

mul mortis, luctus et poenitentiae. Violaceus inter liturgicos colores non computabatur, sed pro nigro fortasse adhibebatur. Saeculo tamen XIII distinctionem fieri coeptum est inter nigrum et violaceum colorem, ita ut hic adhibendus esset ad poenitentiam tantum ostendendam, dum niger officiorum pro defunctis et luctus mortis Domini proprius evasit. Hinc quinque, de quibus Rubrica gen. Missalis (*Tit. XVIII, n. I*) loquitur, colores.

Principium hanc diversitatem colorum dirigens aliud non est, nisi quaedam convenientia, quae inter illos et Sanctum vel mysterium, quod celebratur, intercedit. Unde Ecclesia album festis Domini tribuit (exceptis quae ad eius passionem referuntur) et toti Paschali tempori, in signum gloriae eius et gaudii, quod in fideles ingerunt; festis B. Mariae Virginis, cum nequeat illa gloriosior, post Deum, illa purior creatura inveniri; festis Angelorum, purissimorum spirituum; festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae in materno utero sanctificati; festo S. Ioannis Evangelistae prout martyrio non consumpti (qua tamen gloria non caruit, et merito proinde de eius martyrio separatim agitur), et virginitatis candore nitentis; festis Pontificum, Doctorum, Confessorum ad vitae integritatem et doctrinae puritatem designandam; festis Virginum Sponsarum Agni; festis Sanctarum ceterarum mulierum, eo quod sive morum honestate in matrimonio aut viduitate fulserunt, sive quondam amissam innocentiam sui victrices recuperarunt; festis quibusdam etsi Apostolorum vel Martyrum, quae gloriose referunt facta sed non finem, festo Sanctorum omnium, cum celebrat eorum gloriam sempiternam, eo vel magis quia et illam tunc celebrat Beatissimae Virginis Mariae eorum Reginae; festo Dedicationis Ecclesiae, caelestis Ierusalem symboli, sponsae ritu cinctae; Missis tandem pro Creatione et Coronatione Summi Pontificis, ac electione et consecratione Episcopi, Christum ipsum repraesentantium.

celebrandis, nec non dicendis pro Sponsis, quia Matrimoni Sacramentum Christi cum Ecclesia mysticae intendit unioni. Rubeus color iubetur in festo Pentecostes et Missis de S. Cruce et Passione, caritatis quippe Symbolum est ille color, exempla Missa votiva de Passione pro qua adhibetur violaceus; in festis Apostolorum et Martyrum ob sanguinem aut cruciatus, quibus caritatis victimae occubuere; insuper in Missa pro eligendo Summo Pontifice, eo quod sit quodammodo de Spiritu Sancto. Viridi colore decorantur Officia et Missae de tempore ab octava Epiphaniae usque ad Septuagesimam, et ab octava Pentecostes ad Adventum, exceptis Dominicis infra Octavas festorum, quae horum colorem sequuntur, et Vigiliis, et Quatuor Temporibus, in quibus violaceus adhibetur, qui et praecipitur ceteris diebus poenitentiae et ieiuniorum, prout et pro pluribus Missis votivis, ut in rubricis, atque (exceptis Missa Vigiliae Nativitatis Domini, Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes) nempe per totum Adventum et a Septuagesima ad Missam usque Sabbati Sancti, nec non in Litaniis Maioribus et Minoribus ad moerorem significandum et veniam a Deo impetrandam; in festo Ss. Innocentium, extra Dominicam et eorum octavam, ob mixtam moestitiam pro Christo ad mortem quaesito et peregrinante. Niger color Ecclesiae luctum exprimit pro morte Sponsi in Missa Praesanctificatorum, nec non luctum pro filiis vita functis, usque dum timet ne expiatorio detineantur carcere. Caeruleus color alicubi permissus fuit pro Missis de Immaculata Virginis Conceptione. Flavus nunquam permissus fuit, sed toleratur auro immixtus, ita ut telam auream, nullo quasi colore distinctam, sed tantum pretiositatem praeseferentem efformet, ad festivos tantum colores, album scilicet, rubeum et viridem supplendos. Notat Le Brun, in pluribus Flandriae Ecclesiis in usum esse pro defunctis sacra ornamenta rubro nigroque mixta colore.

Graeca Ecclesia antiquitatis studiosior album et rubrum colorem semper adhibuit ; album pro diebus festis, rubrum pro diebus ieiunii, poenitentiae et officiorum pro defunctis, de quibus citatus Simeon ita loquitur : « Alba sunt illa, propter gratiae puritatem et lucem; saepius autem, ieiuniorum tempore, assumuntur purpurea, eo quod peccatores oporteat lugere, et propter occisum pro nobis Iesum Christum (Goar, *Euchologium Graecorum*) ».

Ambrosiana Ecclesia latinae cohaeret, quoad colorum distinctionem, violaceus, forte subobscurior, tamen vocatur vulgo *morello*; non semper quoad usum. Albo utitur a primis Vesperis Nativitatis, usque ad Epiphaniam ; a Missa Sabbati Sancti, ad Sabbatum quod dicitur *in albis depositis* ; a Vigilia Ascensionis ad Sabbatum Vigiliae Pentecostes exclusive. Insuper in festis B. M. V. ; in festis SS. Trinitatis, Angelorum, Nativitatis S. Ioannis Bapt., et omnium Sanctorum, nec non in principali S. Ioannis Ap. et Ev. ; tandem in festis Confessorum Pontificum, Doctorum Sacerdotum et non Pontificum, in festis Virginum et Anniversario Dedicationis Ecclesiae. Rubeo utitur in Vigilia, festo et octava Pentecostes ; in Dominicis et feriis subsequentibus, usque ad Vesperas Dominicae Dedicationis Ecclesiae maioris : in festo SS. Corporis Christi et octava, et generatim in functionibus SS. Sacramenti ; in festo Circumcisionis, et a Sabbato ante Dominicam Palmarum, dicto *in traditione Symboli*, usque ad Altarium denudationem, albo adhibito a solis Ministris in oleorum consecratione ; in festis SS. Crucis ; in natali Apostolorum, exceptis quae excipiuntur in Ecclesia latina ; in festo Ss. Innocentium et Sanctorum Martyrum. Utitur viridi in Dominicis et feriis, post Epiphaniam usque ad Septuagesimam, ac praeterea in Dominicis, ab ea quae dicitur *in Albis depositis*, usque ad Ascensionem exclusive, et in Dominicis et feriis a Dedicatione Ecclesiae maioris ad Ad-

ventum. Tandem in festis S. Antonii aliorumque Sanctorum Abbatum . . . . . utitur in Adventu usque ad Vigiliam Nativitatis, VI Dominica excepta, quae appellatur *de Incarnatione*; a Dominica Septuagesimae ad Sabbatum *in traditione Symboli*; in festis Sanctarum Matronarum; in Vigiliis ieiunii, excepta Vigilia Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes. Tamen niger ad libitum subrogatur violaceo; iuxta vero communiorem usum, niger adhibetur in feriis Quadragesimae usque ad Sabbatum *in traditione Symboli*; in Missis et officiis defunctorum et Rogationum.

II. Sanctis, qui aerumnis confecti finierunt vitam, vel ope divina a tormentis liberati naturali morte decesserunt, albus ne convenit, an rubeus color?

Praenotandum est, unanimi Doctorum consensu necessarium esse, ad Martyrium stricto sensu accipiendum, duas intervenire personas, nempe persecutorem saevientem et Martyrem patienter sustinentem; unde Augustinus in 44 sermone de Martyribus ait: « In cuius glorioso agone duo praecipue sunt consideranda: saevitia tortoris, ut eam detestemur, patientiam Martyris, ut eam imitemur ». Requiritur praeterea, quod persecutor reipsa mortem intulerit, aut saltem causam necessariam et violentam posuerit mortis ipsius. Inde consequitur, quod, si divinitus Martyres e tormentis liberati fuerunt, quae ex seipsis mortem producere apta erant, et adhuc si nullam exinde experti fuerunt passionem, tamen uti vere Martyres habentur et coluntur. Ita Ecclesia, die 6 Maii, Martyrium celebrat S. Ioannis Apostoli et Evangelistae, Romae ad portam latinam in ferventi olei dolio missi, unde, divina se protegente gratia, illaesus exivit; quo facto, uti ait S. Hieronymus, illud comprobatum est, quod Iesus praedixerat (Matth. XX, 23), *Calicem meum bibetis*; quemadmodum et tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sangui-

nem. Reipsa illud martyrium fuit, inferendae morti sufficiens, cui ex animo se subiecit in fidei testimonium. Idem dicendum venit de iis, qui vitam in aerumnis finierunt, seu ex vulneribus susceptis, seu ob carcerem, vel exilium. Non item dicendum de ceteris, qui usque ad extremum vitae anhelitum talia passi non sunt, sed tempore iam exacto, vitam in pace finierunt. Ita v. gr. Ecclesia S. Silvestrum Papam non uti Martyrem, sed uti Confessorem veneratur, eo quod mortem obierit naturaliter, quamvis nonnihil expertus fuerit tormentorum pro fide. Hinc ad quaesitum respondendum est, quod Sancti, qui aerumnis confecti vitam finierunt, vel ope divina a tormentis liberati, naturali morte decesserunt, vere ab Ecclesia ut Martyres habentur, ac proinde eis color debetur rubeus. Quod si dubium habeatur, vel ad Martyrologium recurrendum est, ad dignoscendum utrum Sancti, de quibus agendum, inibi declarati sint Martyres aut Confessores, etc., vel ad S. Rituum Congregationem.

III. Quid de colore paramentorum iudicandum, quando plures in aliqua Ecclesia Reliquiae extant, tam de Martyribus quam de Confessoribus, de Virginibus etc. ut in casu?

Guyetus inquirens quo colore utendum in festo Reliquiarum seu corporum Sanctorum in aliqua Ecclesia asservatorum *(lib. 3, c. 29, quaest. 5)*, distinguit aiens: « Si fuerint omnes Martyrum, proculdubio rubrum esse adhibendum, si autem Confessorum, aut Confessorum simul et Martyrum, album praestare, ad instar festi omnium Sanctorum ». Ad haec ita Cavalieri argumentatur: « Dubium non est, quod in casu Reliquiarum de solis Martyribus, color rubeus debeat adhiberi, et albus si omnes de non Martyribus extent, cum id sit iuxta Missalis Rubricas. Ast non item, quod color albus in usu esse possit, si Reliquiae sint simul Martyrum et non Martyrum; hoc enim

in casu colorem rubeum esse adhibendum, sequentia argumenta demonstrant :

« 1. In Reliquiarum festo officium ut plurimum desumitur de communi plurimorum Martyrum, quidni igitur ut color, qui in festis Martyrum usurpatur? 2. Nec absimilem expostulat dignitas, qua pollet Martyr prae Confessore, imo et multitudo Reliquiarum, quae Martyrum ferme cunctae sunt, non Martyrum perpaucae. 3. Accedit usus Ecclesiae, quae in festo Ss. Nazarii et Sociorum rubeum adhibet colorem, etsi in eo claudatur S. Innocentius, qui Martyrii palmam non est assecutus. Demum quia par non est ratio de festo Omnium Sanctorum, in quo includuntur Christus, B. Maria et Angeli, qui dignitate quam maxime praestant Martyribus.

« Praevaleat nihilominus Guyeti auctoritas, et color albus in dicto festo adhibeatur, exemplo ducto a memorato usu Ecclesiae Romanae, quae in festo Omnium Sanctorum colore utitur albo, etsi Martyres, ex Sanctis, qui in eo coluntur, sint forsitan numero plures non Martyribus. Idipsum probat consuetudo Regularium Ordinum, qui in festo Omnium Sanctorum indigenarum colorem itidem album assignant. Huius decisionis ratio potior habebitur in solutione argumentorum ; hinc : Ad primum dicimus, pro dicto festo officium depromptum extitisse ex communi plurimorum Martyrum, quia nullum aliud ex communibus est, quod Martyribus, et non Martyribus ita apposite quadret; quis autem ex hoc colorem rubeum eruet esse usurpandum ? Id autem utique erueretur, si tale commune electum extitisset, quia Martyres in dicto festo exculti, non Martyribus praestarent numero, vel dignitate. Ad 2, dignitatem, vel numerum Martyrum non relevare in conspectu Sanctorum solemniorum, atque digniorum. Ex Reliquiis autem, quae v. g. apud Regulares Ordines asservantur, solemniores et celebriores colorem album ut plurimum ex-

poscunt videlicet Ss. Fundatorum, et eximiorum Filiorum, ut in Ordine Augustiniano sunt D. P. Augustinus, S. Nicolaus Tolentinas, S. Thomas a Villanova etc.; in Ordine Franciscano S. Franciscus, S. Antonius Patavinus, S. Bonaventura etc.; in Ordine Praedicatorum S. Dominicus, S. Vincentius Ferrerius, S. Antoninus etc.; et sic de ceteris Regularibus Ordinibus. Uti itaque isti etsi de numero Confessorum in occurrentia, et forsitan etiam in concurrentia praeferuntur Martyribus, ita et colorem, quem iidem exposcunt, praeferendum esse demonstrant. Adde, quod in festo Reliquiarum coluntur quoque Reliquiae Christi, eiusque Matris, quae ut plurimum colorem album expostulant; quis autem ex Martyribus cum istis super dignitate contendet? Ad 3, bene in casu, quia Martyres praestant numero et dignitate et qui Confessor est nulla gaudet ex rationibus praeferre facientibus, uti evenire in casu nostro dicebamus. Ad 4, corruere disparitatem adductam, quia in festo Reliquiarum comprehenduntur etiam Reliquiae Christi eiusque Matris ».

Attamen cum bona horum clarissimorum virorum pace, quantumlibet valeant argumenta prioris aut alterius sententiae, nos dubium resolutum fuisse per competentem auctoritatem gaudemus, unde omnis ambigendi locus sublatus est. Et sane S. Rituum Congregatio die 17 Augusti 1771, in una *Ordinis Eremitarum excalceatorum S. Augustini Prov. Mediolanensis,* ad dubium 4 sic propositum: « In Missa Officii commemorationis omnium Sanctorum, quorum Reliquiae in propriis Ecclesiis asservantur, aliquibus Congregationibus concessi, quaeritur quo colore uti debeat, albo ne, vel rubeo »? Et S. Congregatio respondit: « Adhibendum esse colorem rubrum ». Unde et nos, nulla facta distinctione inter Reliquias et Reliquias. Sanctum et Sanctum, dicimus, sententiam Canonicorum Cathedralis, ut in casu, esse probandam.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

1. *E Florentia.* **De Calendario Oratorii semipublici.** Pp. Capulati, de quibus iam dictum est in num. 5 pr. praesent. anni, pag. 302, Dub. II, religiosum exhibent servitium aliis duobus parvis Hospitalibus, primo maiori adnexis, quae huius quasi supplementum constituunt. Haec Oratorium habent, in quo Sacramenta administrantur, et functiones sacrae peraguntur, quibus infirmi iisque inservientes assistunt. Nonne huiusmodi Oratoria sunt semipublica? Nonne consequenter in iis Calendario Ordinis standum est?

Resp. Affirmative, ex iisdem rationibus, quas alibi (*num. 5, pag. 302 et seq.*) retulimus. Breviori calamo sequentia innuimus. 1. Oratoria privata ius non habent, tamquam talia, ut in iis Sacramenta Confessionis, et maxime Communionis, aliaque Sacramenta administrentur; quia locus Sacramentorum conferendorum est Ecclesia, docente Rituali Romano. Si ergo uti privata Oratoria haberi nequeunt, manet ut saltem tamquam semipublica habeantur. 2. Hospitalia, de quibus in casu, moraliter saltem, quodammodo Hospitalis maioris partem constituunt: ut, sicut Oratorium in illo existens ut semipublicum haberi debet, ita et Oratoria, de quibus agimus uti talia pariter sint habenda. 3. Si in dictis Oratoriis et Sacramentum asservatur et sacrae peraguntur functiones, uti privata nullo pacto haberi possunt aut debent; quia id Oratoriorum privatorum non est proprium, cum imo neque in omnibus Ecclesiis Eucharistia servari possit, et sacrae functiones, saltem solemnes, in privatis Oratoriis sint vetitae. Quid ergo manet, nisi ut concludatur, Oratoria in dictis Hospitalibus, licet par-

vis, sint ad minus semipublica? 4. Demum Hospitalia privilegiis pluribus ab auctoritate ecclesiastica decorata fuere in gratiam infirmorum. Porro, sint magna, sint parva, nihil interest, dummodo plures in iis sint infirmi, quibus privilegia suffragantur. Inter haec autem potissima sunt satisfactio praecepti per auditionem Missae, et Sacramentorum receptio. Ex quo eandem conclusionem inferimus, ea scilicet nonnisi uti publica, vel semipublica esse considerandaa.

His positis, cum dicta Hospitalia Pp. Capulatis sint a competenti auctoritate commissa, qui eadem uti propria habere possunt, palam sequitur, eosdem posse facere in eorum Oratoriis Missas proprio, seu Ordinis Calendario conformes. Ut enim verbis Decreti *Ruthenen.* utamur, cum **agatur de Capella** unica, consequenter **principali, quae instar Oratorii publici habenda est, Calendario loci, non vero Celebrantis Missae respondere debent** (*22 Maii 1896*). Loci autem Calendarium in casu est ipsummet Calendarium Ordinis, ad quem locus, uti Hospitale pertinet.

Nota. Oratoria, in quibus, ut nuper diximus, et Sacramentum Eucharistiae ex privilegio asservatur et fiunt functiones Ecclesiarum propriae, non possunt uti simpliciter privata considerari, sed habenda sunt uti semipublica. Neque obstat, si unica tantum Missa ibidem celebrari valeat, ex iure quod S. R. C. aliquando coarctavit, fortasse quia religiosa Communitas, ad quam aliquod Oratorium pertinet, nondum fuit approbata. Ceterum in iure credimus esse Episcoporum, cum de principali agitur Cappella alicuius piae Communitatis, eam Oratorium semipublicum declarare, dictamque declarationem nota Oratoriorum semipublicorum privilegia sequuntur.

II. *E Senogallia.* **De antiphonis duplicandis in Anniversariis late sumptis.** Quaeritur: Utrum in officio defunctorum, quod recitatur in Anniversariis late sumptis,

antiphonae duplicandae sint iuxta Decretum 30 Iun. 1896 (*Ephem. X, 522*) et iuxta Rubricam reformatam Missalis (*Ephem. XII, 247*), quamvis antea dubitaretur in Ephemeridibus Liturgicis (*Vol. V, pag. 60*).

Resp. Citra omnem controversiam, affirmative. Etenim Decretum, quod adm. Rev. consulens citat, satis explicite id ponit, cum dicat Missam defunctorum *in anniversariis late sumptis* officio duplici respondere. Hoc autem nemo non videt idem esse ac dicere, officium pro anniversariis late sumptis duplicare antiphonas: quod ceterum et in Rubricis Missalis habetur post ultimam emendationem, iisdemque verbis Decreti. Dubitatio Ephemeridum non est computanda, quia tunc temporis (*an. 1891*) res incerta erat; sed hanc incertitudinem S. R. C. iam abstulit: neque Decreta in oppositum, si quae sint, attendenda, cum amplius vim non habeant, et revocata iudicanda sint.

III. *Ex eod. loco.* **De festo Titulari alii praeferendo inferioris ordinis.** Ubi ex indulto festum Purificationis almae Virginis recolitur sub ritu dup. 1 cl. cum octava, debetne praeferri in concursu cum festo Titularis propriae Ecclesiae, utpote primarium et dignius, vel potius cedere debet Vesperas integras eidem Titulari iuxta Ephemerides (*Vol. XI, pag. 639*)?

Resp. Negative ad primum, ad alterum respondemus affirmative. Quamvis breviori calamo, satis clare nihilominus in citato loco Ephemeridum indicantur momenta, quibus data hic responsio solide innititur. Eadem ne iteremus, sequentia adiungimus. 1. Est omnino inconveniens et, ut ita dicamus, inordinatum, festa indulta iis praevalere, quae praeceptiva sunt. Purificatio autem, uti dupl. 1. cl. festum indultivum est, dum Titulus ex praecepto recolendus est, iuxta Rubricas. Oppones quidem, ex principio sequi festum indultivum, puta 2. classis, postponendum esse festo praeceptivo, puta duplicis maioris ritus,

Sed reponimus, illationem non esse legitimam; quia, posita inaequalitate ritus aut classis, unica lex vim habet, ex qua potius festum alteri inferiori praefertur: quod in paritate ritus non comprobatur, uti Rubricae novissime reformatae praedicant (*Tit. X, n. 6*). 2. Decretum Gen. super Anniversario Dedicationis Ecclesiae, d. d. 4 Febr. 1896 declarat, praefatum Anniversarium, dummodo Ecclesiae propriae, esse praeferendum *quibuscumque locorum festis*, **etiam Patroni aut Titularis.** Per quae verba satis indicatur, haec duo festa patronalia eiusdem esse iuris ac illud primum, comparative, inquam, ad alia quaecumque festa localia: quamvis, iisdem tribus festis inter se collatis, Dedicatio praeferri *per se* debeat aliis duobus. Hinc de tribus his festis semper simul et peculiariter Rubricae verba faciunt, ut eorum dignitatem prae ceteris locorum abunde ostendant. 3. Denique iam impraesenti probatum firmatumque est generale principium: festa solemniora universalis Ecclesiae nulli festo locali cedere, et festa solemniora Ecclesiarum particularium illis unis, numquam vero aliis.

Inferes, rationem primarii nihil in casu valere, quia primarium est utrumque festum. Ratio autem dignitatis personalis in casu computari non debet, sicuti non computatur quando solemnius aliquod festum loci digniusque ratione personae concurreret cum aliquo solemniori, sed ratione personae minus digno, universalis Ecclesiae. Sicut enim solemniora festa universalis Ecclesiae celebriora, omnibus inspectis, sunt in toto mundo, ita festa solemniora locorum celebriora sunt in Ecclesiis particularibus. Ergo nullum aliud festum, cuiuscumque sit dignitatis, solemnioribus totius Ecclesiae exceptis, praevalere potest tribus festis localibus. Consequenter Purificationis festum, ex indulto dup. 1. cl., locum cedet festo Titularis, quamvis hoc esse possit ratione personae minus dignum altero.

IV. *E Nola.* **Iterum de non consecranda Ecclesiola subterranea** (*Vide n. 6, pag. 361 et seqq.*). 1. Solutio primi Dubii propositi confirmatur ex iure positivo, quod R.mus Dominus consulens reperit. Est Decretum in *Taurinen.* d. d. 4 Maii 1882 ad 1, quo declaratur, *subterranea loca Ecclesiarum* non esse consecranda, his verbis: « Non licere, utpote quod Ecclesia cum sua parte subterranea consecratur per modum unius ».

2. Inde quaeritur, posita consecratione, nonne videtur dispensandus Episcopus a benedictione parietum Ecclesiae subterraneae, quemadmodum loca subterranea benedici non solent? Eoque magis, quia cum de Ecclesiola in casu agatur, eius parietes vix mediam superioris sacrae aedis alam amplitudine superant, dum superioris Ecclesiae parietes, quos etiam in fundamentis benedicit Episcopus eiusdem alas laterales aequant, et nulla ratione alis Ecclesiolae respondent?

Resp. Incongruum iudicamus quod Episcopus non descendat ad Ecclesiolam aspergendam, non quidem ut parietes benedicat, quippe qui principaliores non sunt sacri aedificii, sed ut benedicat ambientem aerem seu, ut ita dicamus, aream. Satis namque videtur conveniens, ut lustrali aqua peculiariter aspergatur illa pars totius Ecclesiae, in qua Missa celebrari potest, cum cetero Ecclesia in omnibus partibus, quantum fieri potest, sit aspergenda.

3. Quaeritur: In benedicendis superioris Ecclesiae parietibus, ingredi ne debet Episcopus ad aspergendas singulas Cappellas laterales, aut abstinere ab aspersione potest, cum consecratae remaneant ad modum unius?

Resp. Non est necessarium ut Episcopus dictas Cappellas specialiter ingrediens benedicat earum parietes; sed sufficit ut eas aspergat dum Ecclesiam ingreditur duabus vel tribus aspersionibus, idque ex super allata ratione.

4. Quaeritur: Quod alterum spectat Dubium, nonne

praeter duos exorcismos et duas benedictiones, tertia quoque dicenda videtur respiciens mixtionem aquae et salis, quamvis verba in ea fiant de benedictione altaris et Ecclesiae ?

Resp. Tertia benedictio, de qua in casu, nempe quae respicit mixtionem salis et aquae, non habetur in Pontificali Romano, eo inquam in loco, ex quo duo exorcismi et duae benedictiones, de quibus diximus, sumendae sunt, utpote exclusive pertinentes ad idem Pontificale: quamvis habeatur in eodem codice, alio loco, nempe ubi agitur *de Benedictione primarii lapidis*. Sed haec benedictio communis est etiam Rituali Romano : quae si adhibenda foret, frustra S. R. C. ad Dubium primum Decreti in *Bellunen.* et *Feltren.* respondisset : « . . . Adhibenda est formula, quae habetur in Pontificali Romano ». Insuper sicuti benedictio salis et aquae, ita etiam tertia benedictio pro utriusque elementi mixtione, nullam ad casum nostrum relationem dicunt. Aliunde benedictio altera pro commixtione, quae ad rem prostaret in Pontificali, respicit sal, aquam, cineres et vinum ; ergo neque haec adhiberi potest : consequenter, nisi S. R. C. clarius significet quid sit agendum, arbitramur potius tertiam pro commixtione salis et aquae benedictionem non esse adhibendam.

V. *E Mexico.* **De concursu inter festum S. Angeli Nationis Custodis et SS. Rosarii.** In dioecesi de Zacathecas, iuxta Calendarium perpetuum a S. R. C. die 11 Iulii 1878 approbatum, die prima Octobris recolitur Festum S. Angeli Nationis Custodis, sub ritu dupl. 2 classis et cum Officio ac Missa Ecclesiae Hispan. concessis ; sed praesenti anno praedictum Festum concurrit in 2.dis Vesperis cum Festo secundario Solemnitatis SS. Rosarii B. M. V. (Dom. I Octobr. dup. 2 cl.). Hinc quaeritur : 1. An Festum S. Angeli Nationis Custodis sit primarium an secundarium ? 2.

Quomodo Vesperae die prima Octobris ordinandae sunt in casu ?

Resp. Una est quaestio a qua altera pendet; uti enim patet, si festum S. Angeli Custodis Nationis est primarium, praevalet non solum in concursu, sed et in occursu, festo SS. Rosarii, cum utriusque festi par supponatur ritus, seu dup. II. classis : si vero est secundarium, indubie praevalebit festum Deiparae ratione dignitatis personalis. Quid ergo iudicandum ?

Praenotamus, intentionem fuisse Ecclesiae, ut in Dedicatione S. Michaelis Archangeli, quae recolitur in universa Ecclesia die 29 Septembris, memoria celebraretur omnium Ss. Angelorum. Hinc ad octavam Benedictionem, non dicitur, *cuius*, sed *quorum festum colimus*. Nihilominus Paulus Pontifex huius nominis quintus, instante Ferdinando Austriae, instituit festum particulare S. Angeli Custodis, sub ritu duplici et ad libitum, recolendum prima die libera post superindicatum Dedicationis festum. Clemens vero decimus (an. 1670) indixit festum generale Angelorum Custodum de praecepto pro universa Ecclesia, statuitque illud die secunda Octobris, id est prima die non impedita post S. Michaelis Dedicationem, recolendum : ritum ad duplex maius extulit Leo Pontifex XIII, Decreto *Urbis et Orbis* d. d. 17 Iul. 1883.

His praemissis, inquiri potest, an festum Angelorum Custodum, quod die 2 Octobris celebratur, diversum sit ac aliud eiusdem Angeli Custodis, de quo supra, an vero idem bis repetitum ? Responsio certa est ex positivo iure, et esse debet negativa ad primum, affirmativa ad alterum. Etenim S. R. C. expetita, utrum celebrari possit festum Angelorum Custodum die 2 Octobris, ubi celebratur festum Angeli Custodis Dominica prima Septembris, respondit: **Negative** *(30 Sept. 1679 in una Ord. Capuccinor. ad 4)*. Aliud insuper extat Decretum, quod est *in Toletana* ad 1.

in quo, exquirente Capitulo Toletanae Ecclesiae, quodnam ex duobus festis celebrandum foret, an concessum ab Alexandro VII, seu, ut videtur, Angeli Custodis: an potius alterum, concessum a Clemente XI, quod die 2 Octobris recolitur, nempe Angelorum Custodum, S. R. C. reposuit: « Servetur consuetudo..., facto verbo cum SS.mo, et **officium Angelorum Custodum fiat una vice tantum** (*20 Dec. 1673*) ». Itaque sicut ex primo, ita quoque ex altero Decretorum, quae retulimus, nullius est negotii thesis nostrae probatio. Nam de duobus festis primum Decretum iubet non esse celebrandum illud, quod occurrit die 2 Octobris ubi iam celebratur alterum mense Septembri. Quare autem, nisi quia unum et alterum non diversum, sed idem festum constituunt? Alterum vero consuetudinem servandam iubet; sed explicite exigit ut vel unum vel alterum tantummodo celebretur festum, haud vero utrumque. Quid autem id significat, nisi idem festum non bis, sed semel in anno tantum esse celebrandum?

Cum res autem ita se habeant circa duas praefatas festivitates, non dubitamus, doctrinam esse applicandam eodem iure ad aliud Angeli Custodis alicuius Nationis. Etenim obiectum festi, quod recolitur die 2 Octobris, sunt omnes Angeli Custodes. Angelus autem Custos datur unicuique ex hominibus viatoribus; quod non solum certum est, sed iuxta multos, uti ait Tanquerey, est etiam de fide (*Synopsis Theol. Dogm. Tract. de Deo creante Cap. II. De Angel. custod. n. 79*). Probari enim potest ex Scripturis, ex Traditione, ex Sacra Liturgia. Valde probabiliter S. Michael datus est Custos universae Ecclesiae: item praepositos esse particulares Angelos singulis regnis, nationibus, Ecclesiis particularibus, religiosis Communitatibus, probabiliter etiam, tenent Doctores. Verum cuicumque Communitati sint dicti Angeli praepositi, omnes comprehenduntur sub una denominatione Angelorum Custodum;

ut, si vere dentur uti tales, quod non definivit Ecclesia, eorum festum die 2 Octobris indubie recolatur. Porro festum istud Angelorum Custodum, dicta die recolendum in Ecclesia, est indubie primarium, uti ex authentico festorum catalogo palam fit, qui Breviario Romano praemissus est. Cum autem festa alia particularia de aliquo ex Angelis Custodibus, nonnisi repetitiones sint eiusdem festi, ut superius ex iure positivo demonstratum est, manifeste sequitur, praedicta festa nonnisi secundaria esse posse.

Obiici posse intelligimus, subiecta, de quibus festum in casu agitur, fortasse esse diversa; alius enim videtur esse Angelus custodiens personam, alius qui custodiat particularem Ecclesiam, alius qui praeponatur Nationi. Cum ergo subiectum festi possit esse diversum, sequitur haud idem, sed diversum quoque dici posse festum, quod proinde non secundarium sed primarium dicendum foret. Reponimus, Ecclesiam de perpaucis Angelis peculiare festum peragit, quorum nomina ex sacris Bibliis novit: de reliquis tantum generale recolit, quorum nescitur speciale nomen. Sit ergo idem, sit aliud in casu, festi subiectum, quod reservatur incertum, Ecclesia unum tantum Angelorum Custodum festum in praecepto ponit, et primarium declarat, non reliqua; ergo concludimus, saltem ex iure positivo constare, festa specialia alicuius Angeli, ut in casu Nationis Custodis, a generali, in quo continetur, non differre, proindeque secundaria esse, non primaria, nisi aliter S. R. C. pro sua sapientia declarare censuerit. Ergo festum S. Angeli Nationis Custodis secundarium est: consequenter, sive concurrat, sive etiam occurrat cum SS. Deiparae Rosario, in paritate ritus, huic debet cedere ratione dignitatis.

VI. *E Bergamo.* **Super Decreti** *Aucto* **exceptionibus quoad Missas de requie.** In 2.ª concessione Decreti **Aucto,** d. d. 8 Iun. 1896, quae concedit Missas de requie in die

et pro die obitus, excipiuntur tantum duplicia I classis, et dies festivi de praecepto, et per consequens etiam feriae et octavae privilegiatae, quae festa occurrentia eiusdem ritus I classis excludunt, uti Paschatis et Pentecostes. Nunc quaeritur, utrum aliquod posterius Decretum prodierit, quod dictam exceptionem extendat etiam ad duplicia II classis, consequenter omnibus vigiliis privilegiatis octavisque, uti ex. gr. Nativitatis et Corporis Domini, quemadmodum nonnulli tenent?

Resp. Negative. Unica exceptio, Decreto citato posterior, quam adm. Rev. consulens satis novit, est ea quae respicit duplicia I classis et festa de praecepto: exceptio, quam retulerunt *Ephemerides* in numero sequenti illum, in quo Decretum **Aucto** referebatur, seu an. 1896, pag. 513. Aliam exceptionem post hanc factam plane nescimus: ut consequenter infra octavam quamcumque aut in vigilia, nisi vel duplex occurrat I classis, vel sit festum de praecepto, aut nisi dup. I classis in illa excludatur, Missae de requie in casu plane licent.

Ulterius, ad uberiorem rei declarationem animadvertimus, post Decretum *Aucto* aliud super illius sensu provocatum fuisse Decretum, quod est in *Romana* d. d. 12 Ian. 1897. At per hoc nulla alia primis exceptionibus additur, sed tantum habentur sequentes pro casu nostro declarationes:

1. Has Missas privatas de requie licitas esse in omnibus Ecclesiis, atque tam publicis quam etiam privatis Oratoriis: dummodo cadaver sit aut physice aut saltem moraliter praesens; et, si agitur de Ecclesiis aut Oratoriis publicis, habeatur etiam Missa exequialis.

2. Easdem Missas celebrandas esse cum applicatione pro defuncto, cuius habetur cadaver vel physice vel moraliter praesens.

3. Easdem Missas celebrari non posse diebus quibuscumque duplicia I classis excludentibus.

Quae omnia, uti patet, superius datum responsum confirmant, cum nil novi contineant, praeter exceptiones in primo Decreto **Aucto** contentas: seu, quod idem sonat, nullam aliam diem excipiunt praeter exceptas in dicto Decreto **Aucto.**

VII. *E Portu Dicite.* **De die translationis pro festo SS. Nominis Iesu impedito.** In hac Dioecesi occurrerunt hoc anno festa S. Fulgentii, dup. 2.ae cl. et primarium, et SS.mi Nominis Iesu, eiusdem ritus et secundarium. Non potuit transferri hoc festum ad diem 28 Ianuarii, tamquam in sedem propriam, quia hac die occurrit S. Iulianus, sub ritu dup. 2 cl. cum oct.

In Decr. 11 Septembris 1790 pro Hispania disponitur festum SS.mi Nominis Iesu reponendum esse alia die infra octavam S. Iuliani, translato quocumque alio festo, nisi sit altioris ritus.

In Decr. 18 Iulii 1885 *Urgellen*, dicitur: transfertur festum SS.mi Nominis Iesu ad 1.am diem liberam, iuxta Rubricas, et de S. Iuliano fit die 28 Ianuarii.

In Decr. 29 Maii 1886, *Palentina* legitur: occurrente festo S. Fulgentii dup. 2. cl. et SS.mi Nominis Iesu, eiusdem ritus, *Dilata:* interim fiat de S. Fulgentio. Anno 1893 *Ephemer. Liturgic.* pag. 671: Consectario IV dicitur: In locis ubi 28 Ianuarii agitur fest. primarium 2. cl., hoc non amplius transferendum erit, sed SS. Nomen Iesu reponendum die 29 (uti nobis videtur) sed dies 29 in hac Dioecesi est dies octavus S. Vincentii M.

Videtur mihi legisse festum SS.mi Nominis (in casu translationis) transferendum esse ante Septuagesimam.

Potuit transferri dictum fest. SS.mi Nominis ad diem 1.am Februarii, simplificato S. Ignatio Martyre, dup., qui in illa die occurrit?

Resp. Certum ante omnia ponimus, festum SS. Nominis Iesu impeditum, non solum ex occurrente Septuagesima, sed etiam quocumque alio festo vel potioris ritus, vel aequalis sed primario, reponendum esse tamquam in sedem propriam in diem 28 Ianuarii. Ratio est, quia festum SS. Nominis est II classis, ipsique praevalet Dominica pariter II classis, qualis est Dominica Septuagesimae. Atqui si in eadem Septuagesima occurreret duplex I classis, hoc ipsimet Septuagesimae praevaleret ; ergo a fortiori duplex I cl. praevalere debet Festo SS. Nominis. Quod vero spectat duplex II classis, etsi primarium, eodem uti argumento nequimus ; quia Dominicae II classis cuicumque duplici II cl. praevalent, sive hoc sit secundarium sive primarium. Eruitur omni cum certitudine ex Generali Decreto « Commemorationum in Vesperis » in quo commemoratio Dominicae privilegiatae, licet semiduplicis ritus, nihilominus praefertur commemorationi cuiusvis duplicis sive minoris, sive maioris, sive etiam diei octavae. Et *optime per omnem modum*, animadvertit cl. Doct. Piacenza ; *nam, licet duplex, maius vel minus, ratione ritus praestantius sit quam Dominica, quando Dominica privilegiata, nempe una ex maioribus, occurrit cum duplici, utpote nobilior ratione officii, huic praefertur.* Ita praefatus auctor in *Expositione novissima Rubricarum* (343). Quod si in praedicto Decreto non agitur de commemoratione duplicis II cl. cui etiam Dominicam eiusdem classis dicimus praeferendam, nihil obstat ; quia duplicia II cl. impedita ius habent ex privilegio ut in semiduplici, et hoc deficiente, etiam in duplici min. reponantur : ut Decretum de illis loqui non potuerit. Sed principium, cui Decretum innititur, idem semper est, videlicet officii nobilitas, potior in Dominica privilegiata, quam in duplici II classis ; ac proinde si de iis loqui debuisset Decretum, commemorationem Dominicae II cl. indubie praeposuisset

commemorationi ipsiusmet duplicis eiusdem classis, sive secundarii sive etiam primarii. Adeo ut, per consequens, Dominica II classis praeferenda semper sit, ratione nobilioris officii, duplici cuicumque eiusdem classis, quacumque praerogativa praedito.

Quod nihilominus praedicatur de Dominica II cl. comparative ad duplex eiusdem classis, vim non habet quando duo duplicia inter se comparantur et occurrunt, sive I sint, sive II classis. Rubrica enim Gen. nullam exhibet exceptionem, docetque agendum esse in occursu *de festo potioris ritus prae alio ritus inferioris*, **aut in paritate ritus de primario prae secundario** (*Tit. V. n. 6*). Ergo, occurrente, in Dominica secunda post Epiphaniam, festo SS. Nominis Iesu duplici II cl. cum alio festo eiusdem ritus et classis sed primario, hoc praeferendum est, illudque in diem 28 transferendum.

Aliquantulum hoc in negotio morati sumus, ut quae in numero p. p. diximus (*pag. 371, Dub. III*) ulterius confirmaremus.

His positis, manifeste patet de S. Fulgentio in casu, optimo iure actum esse officium. Sed quid de repositione SS. Nominis, de qua in casu? Exploratum est primo, hoc festum non potuisse reponi in diem 28 Ian. quia ea die agendum erat de S. Iuliano, utpote eiusdem ritus et classis, sed primarii; idque iuxta Rubricas et Decretum in *Vegellen.* d. d. 18 Iul. 1885 ad IV. Secundo, Decretum pro Hispania, quod est in *Barcinonen.* 11 Sept. 1790 ad 1, non est computandum, quia e Collectione expunctum est, et merito. Quo enim iure SS. Nomen reponi debet infra octavam S. Iuliani, ita ut quodcumque aliud festum, altioris ritus excepto, infra illam occurrens transferatur? Insuper, cum per Rubricam in praesenti satis casui provisum fuerit, inutile praefatum Dubium iudicatum est. Tertio, Decretum, quod citatur, diei 18 Iul. 1885, est in *Ve-*

gellen. quod servandum est, et superius citavimus. Quarto, Decretum 28 Maii 1886 in Collectione non reperivimus; sed cum dicat « Dilata » et per consequens nihil determinet, pro nihilo haberi potest et debet. Quarto, quod in *Ephemeridibus* loco citato legitur, continet specialem scriptoris sentiendi rationem, vi cuius impeditum festum SS. Nominis in Dom. II post Epiphaniam et die 28 Ian., reponendum censetur in diem sequentem 29 eiusdem mensis. At hic sentiendi modus, aequus licet, legem non constituit : vi cuius dictum festum bis impeditum prima die libera iuxta Rubricas recolendum est. Ratio autem, ex qua ante Septuagesimam celebrari debeat, amplius in praesenti vim non habere iudicatur. Ceterum et dicta ratio in consideratione habetur, quia et in Dom. II post Epiphaniam recoli debet, in eaque impeditum, die 28 Ianuarii ; duplex ergo habet privilegium, ut vel ante Septuagesimam celebretur, vel saltem quamprimum celebretur post illam. At bis impeditum, tacente lege de ampliori privilegio, aliud dicere non possumus, nisi reponendum esse in diem primam iuxta Rubricas liberam.

His omnibus hucusque expositis, translatio ad diem 1.am Februarii, et quidem simplificato S. Ignatio Mart. duplici, nobis probanda non videtur. Quia privilegium huiusce festi afficit tantum diem **propriam,** seu Dominicam II post Epiphaniam, et **tamquam propriam,** seu 28 Ianuarii: extensio autem privilegii ad quamcumque aliam diem nobis apparet arbitraria, ac proinde festum SS. Nominis Iesu in casu reponendum erat prima die non impedita, post 28 Ianuarii, iuxta Rubricas.

VIII. *E Senogallia.* **De 3.ae Orationis qualitate in Missa pro Sponsis, speciali occurrente casu.** Cum Missa pro Sponsis celebratur in festis Deiparae occurrentibus ab Octava Paschae usque ad Ascensionem (v. gr. in festo B. M. V. de Bono Consilio die 26 Aprilis) neque ulla commemoratio

occurrit, dicendane est tertio loco oratio *de Spiritu Sancto* assignata pro Missis votivis B. M. V. (uti docet Cesàri in suo Caeremoniali), vel potius oratio *Ecclesiae* vel *pro Papa*, quae tertio loco dicenda assignatur a Rubrica in festis semiduplicibus ab Octava Paschae ad Ascensionem usque?

Resp. Lex est generalis : Missa pro Sponsis est votiva privata : ut Orationes illas consequenter admittat, quas votiva privata exigit. Hoc est : 1. Pro sponsis, quorum Missam celebrari ponimus : 2. est diei, hoc est de festo B. Mariae a Bono Consilio dictae : 3. de qua est quaestio, nulla speciali commemoratione occurrente, illa esse debet, quae in semiduplici, pro tempore, in Missali praescribitur, in casu autem cum agatur de tempore ab Octava Paschae ad Ascensionem, praescripta legitur *Ecclesiae*, vel *pro Papa* (*Tit. IX, n. 6*). Haec, iterum dicimus, lex generalis, quae in casu servanda est, et a qua non videmus quare sit recedendum.

Cesàri citat adm. Rev. consulens, ut dubium astruat, quem proinde consuluimus, et nunc litteraliter referemus, quamvis in Latii idioma versum. En itaque dicti auctoris sentiendi ratio : « . . . Etiam in festis B. Virginis, duplicis maioris ritus (ex. gr. de Monte Carmelo, ad Nives, de Mercede, etc.), occurrentibus in feriis, celebrabitur, si opus sit, Missa pro Sponsis. Verum tempore, quo ex lege pro 3.ª Oratione ponenda foret de S. Maria vel *A cunctis*, Oratio subrogabitur de Spiritu Sancto : quemadmodum fit in votivis de B. Virgine et de Apostolis Petro et Paulo ; idque ne de B. Maria bis mentio fiat (*Cerem. d. Mess. Lib. IV, n. 1161*). » Uti manifestum nobis videtur, doctrina praefati auctoris ad rem nostram non facit : quia a Pascha ad Ascensionem sumus, quo tempore non exigit Missale Orationem de S. Maria vel *A cunctis*, sed *Ecclesiae*, vel *pro Papa*. Ratio ergo ob quam cl. Cesàri Orationem 3.am mutandam docet in aliam de Spiritu Sancto non com-

probatur. Sane licet in casu nostro 2ª Oratio esse debeat, iuxta regulam, de Beata Maria a bono Consilio, 3.ª esse debet *Ecclesiae* vel *pro Papa*; ergo duplex de S. Maria non habetur mentio, consequenter applicari nec debet nec potest praefati auctoris doctrina, sed exhibitae generali legi standum est. Quae ceterum doctrina Rubricis cohaeret, quae iubent, in Sabbato, quando factum est officium de Beata Maria, 2.am Orationem mutandam esse in aliam de Spiritu Sancto, quia de eadem Beata iam prima Oratio dicta est.

Nihilominus cl. De Herdt duobus Decretis innixus, quorum antiquius servatum est, docet, etsi 2.ª Oratio *A cunctis* dicenda esset pro tempore, non eam esse mutandum sed nomen Beatae Virginis in ea esse omittendum (*Pars 3, n. 281: Decr. in Assisien. 15 Maii 1819 ad 3*). Quidquid sit, respondemus in casu: Oratio tertio loco dicenda est vel *Ecclesiae*, vel *pro Papa*.

IX. *E Monte Politiano.* **De cuiusdam Decreti authenticitate.** Estne authenticum S. R. C. Decretum, quo permittitur Episcopo reponere novas Sanctorum Martyrum reliquias in sepulchro altaris portatilis, quando eius operculum est fractum vel avulsum ob coementi deficientiam, quin renovetur eiusdem altaris consecratio?

Resp. Si extet eiusmodi Decretum, arbitramur, aliis pluribus inhaerentes, ac omnium, recentiorum saltem, auctorum sententiam sequentes, toto iure posse censeri apocryphum. Ratio est, quia ut Martyrum Reliquiae in sepulcro altaris, esto portatilis, reponantur, operculum, etsi nec fractum supponatur, nec ob coementi defectum a lapide avulsum, auferri certo debet ad aperiendum sepulcrulum. Atqui Decreta plura certa atque authentica declarant, altare, sive fixum sive portatile, execratum evadere, quoties operculum sepulcrulum claudens, aut fractum fuerit, aut simpliciter amotum a sepulcrulo. Ergo altare portatile, de

quo in casu, est certe violatum, idque ex iure positivo declaratum. Atqui nemo dubitat, pluribus Decretis legem statuentibus, altare quodcumque execratum esse denuo consecrandum ut Missa in eo celebretur, *nisi sedes Apostolica indulgeat, ut vel sola Reliquiarum repositione reconcilietur, vel super eodem celebretur, donec aurae apponantur Sanctorum Reliquiae.* Ita explicitis verbis cl. De Herdt *(pars I, 477, n. 2)*. Praecipuum, cuius doctrinae dictus auctor innititur, cuius immo doctrinam refert, est Decretum in *Benerentana* in nova Collectione servatum, nunc **1955** (3404), penes quod et prostat aliud in *Augustana*, ab illo citatum: in quo dicitur, quod *Episcopus supplicavit S. R. C., pro facultate illa (altaria sola violatione sepulcrorum polluta) reconciliandi sola repositione Reliquiarum, iis tantum servatis caeremoniis quae in Pontificali Romano praescribuntur. Et S. R. C. referente E.mo Brancatio, censuit:* « In hoc casu gratiam praedictam posse concedi, si SS.mo placuerit... Sanctitas sua benigne annuit.» Die 1 Maii 1668. Notatum tamen volumus, S. R. Tribunal, quod certe praedictam facultatem Episcopis per appositum Decretum in genere non tribuit, eamdem solere concedere petentibus Episcopis facultatem, vi cuius, peculiari formula breviori, brevioribusque ritibus, iterum consecratur altare.

X. *E Pechino.* **De altaribus portatilibus contra ius consecratis, nunc iterum et quomodo sacrari queant.** Plura altaria portatilia, triginta abhinc annis hic consecrata fuere ita, ut sepulcrulum Reliquiarum non in superiori parte, sed in anteriori labro lapidis maneret, contra Decretum in *Aequatorianae Americae* d. d. 24 Nov. 1885 *(V. Ephem. Liturg. vol. I, pag. 348)*. Nunc recens Episcopus novos peroptat lapides rite consecrare; sed altaria portatilia contra ritum consecrata necesse ne est destruere, iisque non amplius uti? Nonne licet illorum reformare sepulcrulum,

atque iterum eadem altaria consecrare? Quod si liceat, sufficit ne ut Episcopus Reliquias recondat in sepulcrulo, in superiore lapidum parte effosso, illud cum sacro chrismate consecrando, iuxta praescriptum Pontificalis, quin renoventur consecrationes crucium in angulis lapidis seu altaris?

Resp. 1. Maxima ante omnia iudicamus laude dignum Episcopum, pro intentione omnia renovandi altaria, ut liturgico iuri apprime conformentur. Altaria vero triginta circiter abhinc annis consecrata destruere necesse non est, sed sufficit ut iterum ad normam praesentis iuris consecrentur. Hoc autem pro certo habendum est; quia indubia scientia nobis constat ab anno 1885, quo Decretum *Aequatorianae Americae* vulgatum est, R.mo Dom. Ioanne Ponzi S. R. Cong.ni substituto vivente, ad plures Episcopos Galliarum datas fuisse Litteras cum facultate praedicta altaria iterum consecrandi sub nota breviori formula, non vero eadem destruendi ac renovandi. Neque ceterum ratio extaret illa destruendi, quia leve vacuum quod in intima lapidum parte factum est non impedit, quominus ea integra et unica remaneant. Namque in aliquibus lapidibus, uti ex. gr. in lapide tiburtino saepe accidit, ut aliquid plus minusve vacui in intima parte maneat: cum tamen hunc lapidem ineptum esse ad efformanda altaria nemo iudicet.

Resp. 2. Episcopo non licet auctoritate propria hos lapides sub breviori formula et ritu consecrare. Sed requiritur facultas Sanctae Sedis, seu S. R. Cong.nis, quae ad rem dare solet cum facultate praefatam breviorem formulam, brevioremque ritum indicare, quibus praefata altaria consecrentur. S. R. Tribunal proinde adeundum, et nullo negotio optatus finis obtinebitur.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Curenna.* Quando festum Sancti alicuius Confessoris gaudens octava, transfertur intra ipsam octavam, tertius versus Hymni *Iste Confessor*, diei natalitiae proprius, **non mutatur**; *quia tota octava nihil aliud est, quam extensio ipsius festi.* Ita docet Decretum *Aquen.* ad 3, num. **2365** (4119). Ergo adhuc in die octava versus non est mutandus. Quid autem si die immediate sequenti octavam festum celebretur? Respondemus, idem agendum esse quod facere docemur quando festum transfertur in diem immediate sequentem; quia dies octava iure consideratur sicut dies festus. Atqui si festum habeat primas Vesperas, vel saltem a Capitulo, licet translatum immediate post diem obitus, tertius versus non est mutandus; ergo neque mutari debet, quando festum transfertur immediate post diem octavam, si primas Vesperas habeat, saltem a Capitulo. At quid dicendum, si hoc festum, ratione temporis vetiti, nequeat habere integram octavam, sed aliquos dies tantum? Credimus eodem modo esse iudicandum; quia quamvis de facto hic et nunc festum non habeat octavam, ius tamen ad illam habet, ut iure suo dicendi *meruit beatas* non videatur privandum. Ergo die 19 Febr. in quo aguntur primae Vesperae S. Benedicti Revelli, die 20 sequenti repositi quae esset octava, neque proinde hac eadem die 20, mutabitur tertius versus. Ita salvo meliori indicio.

II. *Pro Caesaraugusta.* In concursu duorum festorum aequalis ritus, regula, quae pro occursu eorumdem festorum in Rubricis ponitur, applicanda est. Id expresse Rubricae docent *Tit. XI. n.* 2. Haec autem regula ita se habet: *in paritate ritus* (fiat) *de primario prae secundario*

(Tit. X. n. 6) Nulla ergo quaestio oriri potest in casu, si considerentur festa quae occurrunt. Nam festum S. Florentinae V. primarium est, illud vero Inventionis corporum Ss. Engratiae et Soc. Mm., secundarium. Idem dicendum est de festo S. Monicae Vid. quod concurrit cum festo Conversionis S. Augustini Ep. C. D., et etiam de festo S. Indaletii Ep. M. concurrente cum festo Apparitionis S. Iacobi Apost. Ideoque Vesperae ita ordinandae sunt, ut integrae fiant respective de festo primario cum commemoratione festi secundarii.

III. *Pro Dioecesi Ebroicensi.* Cum aliquis Sanctus, qui Patronus loci vel Titularis Ecclesiae est, in Calendario cum aliis Sanctis descriptus est, *si separari potest*, ab aliis separandus est et de illo tantum, in dict. loco vel Ecclesia agendum est. Norma vero ut videatur si separabiles sint, necne, duplex est, nimirum, si praedicti Sancti per se, ex natura rei, puta ex consanguinitate, ex affinitate etc. coniuncti sunt; vel *per accidens*, uti si eodem die, vel eodem loco etc., martyrium passi sunt. In primo casu, iuxta Decreta (*4 Septem. 1745 ad 5*) separari nequeunt, cum ex necessitate coniuncti sint; in secundo vero separari possunt, cum per accidens tantum coniuncti sint. Ideoque iam liquet responsio ad propositos casus: ad 1.^{mm} S. Eustachius Martyr per se, ex natura rei, cum sociis coniunctus est, cum illi respective sint uxor et filii eius; ideoque nullo modo separandus est ab istis, sed de omnibus agendum est *de Communi plurimorum Martyrum*. Ad 2.^{m}: S. Mauritius Martyr per accidens cum sociis coniunctus est, idcirco ab illis separari potest. Eapropter de illo tantum agendum est, omisso in perpetuum festo Sociorum eius cum sint ritus simplicis. Ad 3.^{m}: Pro S. Dionysio eadem valet ratio; ideoque Socii in primam diem liberam transferendi sunt. Id explicite statuitur in Decreto *in*

Aquen. d. d. 4 Septem. 1745, ad 5, quod retulimus supra pag. 244.

IV. *Pro Verona.* Quidque statuant aliqua Missalia, quae forsan approbata non sunt atque certe cum typica editione minime in casu concordant, Rubricae speciali quae in typica editione legitur standum est. Porro ista Rubrica iubet: « Si hoc festum (Ss. Philippi et Iacobi) transferatur post tempus Paschale, dicitur eadem Missa, detractis tantummodo *Alleluia* ab Introitu, Offertorio et Communione, et substituto sequenti Graduale etc. ». Adest etiam Decretum *in Romana* d. d. 10 Aprilis 1669, praedictam Rubricam confirmans.

V. *Pro Ouro Preto in America.* Iuxta Caeremoniale Episcoporum et Rubricas generales Missalis, crux esse debet sculpta, et in ipsa Cruce supereminere debet imago Sanctissimi Crucifixi. Permittitur tamen etiam depicta, dummodo semper praeseferat imaginem Salvatoris. Illud ex consuetudine plurium Ecclesiarum constat, istud ex Decretis. Ideoque nobis videtur imagine illa in qua adspicitur Salvator crucifixus, altero brachio Divum Franciscum Assisinatem praecingens, vere Salvatorem crucifixum repraesentare, atque pro Cruce deservire posse.

VI. *Pro Austria.* Invocationes quae initio Litaniarum B. Mariae V. et Omnium Sanctorum (in istis etiam in fine), leguntur, diversimode recitantur. Usus communis est ut bis eadem invocatio dicatur. Et haec agendi ratio magis probanda nobis videtur, cum melius respondeat spiritui istarum invocationum. Desiderandum tamen foret quod, saltem in eadem ecclesia, eodem modo ab omnibus recitarentur, cum facile ex diversa recitatione aliquod inconveniens oriri posset, et certe admirationem in populo ingerit.

VII. *Pro variis locis* 1. Ubi festum S. Silvestri (d. 31 Dec.) est Titulus Ecclesiae, in officio lectiones I No-

cturni erunt de Communi Conf. Pontif. *Fidelis Sermo*. Ita ad litteram Meratus apud Gavant. Sect. VI, Cap. VI, n. III.

2. Utrum Lectiones I Noct. pro S. Bernardo, ubi est Titularis, esse debeant *Sapientiam*, cum certitudine non possumus definire. Id enim a quaestione dependet, utrum Lectiones pra dicto Sancto, die 20 Aug. occurrente, ideo de Scriptura praescriptae sint, quia tunc temporis legitur generaliter de libro Sapientiae. Hinc etc.

3. Ubi S. Antonius (17 Ian.) est Titularis, die 19 faciendum de 3 die infra Octavam, loco S. Canuti: hoc autem in casu, etiam alternativa pro lectionibus II noct. sequenda est, iuxta exposita in num. 1. Mensis Ian. pag. 40. Sed ex Decreto illic citato facile arguitur aliqua libertas in calendariorum redactoribus, dummodo non repetantur quae die immediate praecedenti lectae.

DE OCTAVIS

nondum absolutis superveniente die 17 Dec.

RUBRICAE

(Tit. VII, n. 1) EXPOSITIO

Numerus quintus nostrarum *Ephemeridum* continet discussionem super proposito titulo *(V. pag. 314 et seq.)*: eiusdemque discussionis, quam exhibet, conclusio est sequens: « Post hucusque discussa, hoc unum nobis videtur certum, negotium *in incerto adhuc manere*, ut S. R. Tribunal fas sit expectare, quod se explicet et controversiam pro sua sapientia dirimat ». Iam nunc controversiam esse diremptam certiores facimus Ven. lectores nostros. Namque Rev.mus Dom. S. R. Cong.nis Substitutus pro sua comitate nobis retulit, litteras ad eum, cuius interest, fuis-

se missas, quae S. R. Tribunalis voluntatem patefaciunt super responso ad Dubium primum Decreti *Quebecen.* d. d. 13 Dec. 1895. Voluntas autem est, ut responsio ad praefatum Dubium *affirmativa* mutetur in **negativam,** quae responsio in nova Collectione Decretorum servabitur. Itaque notum sit omnibus, praefati Dubii ac relativi responsi tenorem esse sequentem :

« I. An Titularis festum alicuius Ecclesiae, a die 31 Decembris ad quintam Ianuarii occurrens, habeat Octavam ?

Ad I. Negative ».

Quidquid ergo in contrarium in hisce Ephemeridum paginis dictum hactenus fuit, pro nihilo computandum est, cum ex Decreto reformato, quod aliis cohaeret, sive antiquioribus sive recentioribus, omnino exploratum sit, festa quae *per se* Octava gaudent, si a die 31 Dec. usque ad Epiphaniam occurrant, de facto non gaudere Octava.

Dicit Rubrica : « usque ad Epiphaniam », per quam intelligi non debet tota Octava Epiphaniae usque ad diem 13 Ianuarii, sed solus dies Epiphaniae. Secus, uti patet, omnes dies a 17 Dec. usque ad 13 Ian. festum cum Octava excluderent, quod falsum est. Generalis enim Rubrica *(Tit. VII, n. 3)* dicit : « Infra Octavam Epiphaniae fit tantum de duplicibus primae classis . . . cum commemoratione Octavae ». Si ergo praefatum festum duplex primae classis Octava gaudeat, non solum de eo faciendum est infra Octavam Epiphaniae, sed post celebratum festum de infra Octavam Epiphaniae agendum quidem est, at de festo alio Octavam habente com. quoque facienda est. Hoc docent communiter auctores, uti alibi dictum est. Cum ergo Rubrica dicit, *usque ad Epiphaniam*, pro hac solus dies festus intelligendus est, haud vero tota octava.

Quod si festa, quae *per se* Octava gaudent, occurruntque post diem 16 Dec. sed ante diem 6 Ianuarii, de facto Octava carent, dicendum est id non oriri ex probi-

bitione Octavarum post festum Epiphaniae, quae prohibitio non datur, ut falsam rationem proinde constitueret; sed ex alio capite, de quo non est modo dicendum. Lex enim aperte declarat: « De Octavis quae non sunt in calendario, nihil fit...a die 17 Dec. usque ad Epiphaniam. » Atqui infra Octavam Epiphaniae admittuntur Octavae; ergo pro *Epiphaniae* intelligi non potest tota illius Octava, sed solum festum. Haec peculiariter pro adm. Rev. I. C. e Bohemia dicta sint.

CENSURA

Ephemeris « l'Avvisatore Ecclesiastico » quae prope Savonam evulgatur, in num. I Mensis Iunii vertentis anni 1898, pag. 432, habet: 1. « Missae quotidianae defunctorum, sive lectae sive in cantu, nisi habeatur Apostolicum Indultum, quod facile obtineri potest, vetantur in duplicibus ». Ne decipiantur simpliciores lectores, notare cogimur primo: Apostolicum Indultum facile obtineri posse pro Missis **cantatis**, concedimus; sed pro **lectis**, negandum est, tanquam a veritate alienum. Secundo: Missae lectae, etiam ex quotidianis, permittuntur in duplicibus, quibus dam tamen diebus exceptis (*V. Ephem. Liturg. 1896, pag. 454*), in quolibet sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, dummodo Sacrum in eo faciendi privilegium habeatur.

Item praefata Ephemeris habet: « Idem dicendum de anniversariis, quae a Capitulis, Collegiatis, Confraternitatibus celebrantur pro omnibus Canonicis, Confratribus etc.» Super hac doctrina, quae vera est, notatum volumus, redactum esse ad rem Decretum, non tamen adhuc vulgatum; ex quo praefata Anniversaria permittuntur in *du-*

plici minori, uti antiquitus permissa fuerant. Hinc in pluribus Canonicorum collegiis dicta Anniversaria, quae ex antiqua consuetudine iam celebrabantur, etiam in praesenti celebrari a fortiori posse, nemo non videt.

Praeterea eadem supercitata Ephemeris docet: « Anniversariae vero Missae cum cantu, si dies vere sit anniversaria alicuius defuncti, permittuntur in duplici maiori, si sint a testatore relicta, et in duplici minori tantum si fiant ex petitione parentum ». Vix fide digna tanta imperitia est in Parocho id docente, et a potiori, in Ephemeridis Moderatore, permittente ut talis nunc doctrina vulgetur. Abunde namque constat usque ab anno 1884 (*Vid. Decr. in Neapolitana, n. 5907 ad VII, d. 9 Maii*), et vivimus 1898, Anniversaria sive a testatore relicta, sive ex petitione parentum, esse permissa, tam in duplici minori quam maiori.

Denique docet praedicta Ephemeris: « Missae in cantu, in die 3, 7, et 30 ab obitu permittuntur in duplicibus minoribus ». Hic quoque error est immanis, et quomodo excusari valeat, prorsus nescimus. Quis enim ex Parochis, imo ex ipsis simplicibus Sacerdotibus, ignorare potest, ad minus usque ab anno 1766 Missam de requie in cantu diebus **3,** 7 et 30, uti et anniversaria, cantari potuisse in duplici, sive minori sive etiam maiori? Certe Decretum extat, praefatas Missas in duplici permittens, quod prodiit anno 1766 (*Carthagenen. 22 Aug. ad 2*); nisi alia antiquiora extent, quae ab auctoribus citantur (*V. De Herdt, p. 1. n. 62*). Consilio proinde iuvamus, seu adm. Rev. Petrum Baldo Parochum, seu optimum Ephemeridis **l' Avvisatore Ecclesiastico di Altare** Moderatorem, ut ius antiquum liturgicum, ac si vigeret aetate nostra, reponat, novum addiscat et afferat, ne lectores in errorem inducantur.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Iulio 1898 propositae (1).

— ××× —

PROPOSITIO.

Duplex vel semiduplex perpetuo impeditum, et cui non est locus in Calendario, commemorari ne debet in primis Vesperis, ad Laudes, et in secundis Vesperis, an tantum in primis et Laudibus? Quid ex Rubricis, ex Decretis, ex Auctoribus, et ex ratione liturgica?

SOLUTIO.

Quaestio haec, etsi difficultatibus careat gravibus, nonnulla tamen utilia in memoriam revocabit documenta, et pluribus non parvi momenti investigationibus locum praestabit.

I. Si interroges Rubricas, nihil habes quod *directe* veniat ad rem. Legitur quidem *in Tit. X, n. 1*: « Iisdem comprehendun-« tur regulis (quae regunt commemorationes impeditorum) alia « festa duplicia, quorum translationi in toto anni decursu locus « non superest ». Sed haec dispositio, veniens statim post officia *accidentaliter* impedita, ad quae se refert, quomodo respiceret festa *perpetuo* impedita ob defectum loci in Calendario? Sufficit contextum inspicere, et conclusio fit innegabilis, quum post declarationem supra citatam Rubrica illico prosequatur: « Festa *tamen* duplicia minora, quamquam non sint Doctoris « ecclesiae, si quotannis a digniori officio impediantur, reponun-« tur in prima die libera, tamquam in propria sede, perpetuo « recolenda ».

At quid inde? Necessitas facit legem. Festa habeo transferenda, et deest locus ad hanc operationem. Ni fallor, recurrere est ad Rubricam festorum accidentaliter impeditorum, quorum translationi in Calendario deficit locus, quia, *ubi eadem est*

(1) Duo Academici, nempe cl. Anastasius Fourneret, atque Nivardus Bossi, Paro hi, propositae quaestionis solutionem ad nos dederunt. Uterque in eadem sententia convenit: primi evulganus solutionem.

ratio, ibi eadem quoque legis dispositio. Hinc, si directe non respicit casum propositum, convenit tamen ei indirecte et per viam consequentiae. Quod erat probandum.

His dictis, quaeritur an duplex vel semiduplex perpetuo impeditum, et cui non est locus in Calendario, commemorari debeat in utrisque Vesperis et Laudibus, aut tantum ad I Vesperas et Laudes.

Responsio est *in Tit. IX n. 7*, et *Tit. X n. 1 et 5*, et quidem primo intuitu opposita. V. g. Rubrica Commemorationum fert: « De festis duplicibus et semiduplicibus quoties.... reduci debent ad modum simplicis, fit pariter commemoratio ad instar diei Octavae et Dominicae, in utrisque Vesperis et Laudibus, praeterquam in omnibus duplicibus I cl., exceptis eorum secundis Vesperis, si huiusmodi commemoratio facienda sit die sequenti: » unde clare resultat semiduplicia non esse aequaliter tractanda sicut et duplicia, sed haec ut diem octavam praeterquam in dupl. I cl. occurrentibus, et illa ut diem dominicam. At ex adverso Rubrica Translationum non ullam facit differentiam, dicens : « ipso die quo cadit (festum semiduplex), de eo fit commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus.... ut supra de duplici minori cautum est »; unde crederes sicut duplicia, ita semiduplicia esse commemoranda.

Ubi est veritas? In aequa Rubricarum interpretatione, cum istae nequeant inter se pugnare, et proinde negotium sic componimus. Lex de triplici commemoratione indicat quidquid fieri potest *in se*; sed subordinatur aliis circumstantiis festorum, ritus et concurrentiae, quae possunt impedire tertiam commemorationem, et ita iuxta casum, duplex habebit tantum commemorationem ad I Vesperas et ad Laudes, dum semiduplex in altera die commemorabitur in utrisque Vesperis et Laudibus, et vice versa, prout occurrit cum tali vel tali officio.

Hinc festa simplificata semper in suis I Vesp. commemorantur, quia ex una parte tractari debent, nempe semiduplex ut Dominica, et duplex ut dies Octava, et ex altera quaelibet Dominica et quaelibet dies Octava semper commemorantur in suis I Vesp., etiamsi Vesperae recitarentur de praecedenti etiam I cl., ut testatur *Tit. IX n. 1* in fine. Itaque duplex vel semi-

duplex ad instar simplicis reductum feria IV post Pascha vel Pentecosten commemorabitur in suis I Vesp., quamquam Vesperae feriae III sint 1ae classis.

Quaestio agitari nequit circa Laudes, quia etiam pro simplicibus quae in festis II cl. nec in I. Vesp. etiam commemorantur: fit tamen eorum memoria semper in Laudibus. Sed aliter dicendum est de II Vesperis, quia aliquando dies Octava et dies Dominica carent suis II Vesp. Ita dies Octava non memoriam habet, si concurrat cum festo sequente I cl., nec Dominica, si sequatur festum I vel II cl. Quapropter in his casibus respectivis non fiet mentio de semiduplici vel duplici in suis II Vesp., ut videre est *Tit. IX n. 6* (Confer. *Ephem. Liturg.* 1893 pag. 622 ad 627, et Maugère in Ephem. gall. *Ami du Clergé* 1882, pag. 455.

Conducunt ad eamdem conclusionem Tit. IV, n. 1 sub finem, et Tabel. occurr. n. 8, pro commemoratione in utrisque Vesp. et Laudibus. Insistere non necesse est, et ad memoriam tantum citamus Proprium de Tempore in Adventu, in die Octava Epiph. in Dominicis I et II cl. in Quadragesima, in festo Corporis Christi, ante festum SS. Nominis Iesu etc.

II. Decreta eamdem tenent doctrinam, et eodem sensu quam supra intelligenda sunt sicut et Rubricae, de festis perpetuo impeditis.

Consulta *11 Mart. 1837, n. 4810,* S. R. C. respondit: « Officia quae intra anni terminum transferri nequeunt, redi« genda esse ad ritum simplicis in die propria cum nona lectio« ne historica et commemoratione in utrisque Vesperis et Lau« dibus.... ».

Exceptio tamen fit pro festis II cl. quae, si non supersint dies vacui pro eorum translatione, privilegium habent ut transferantur in primam diem impeditam a festo semiduplici, et in huius defectu, in primam diem a duplici impeditam, teste decreto generali *13 Mart. 1804, n. 4492*: « Cum nonnullis in ecclesiis aliquando accidat ut quaedam festa II cl. celebrari non possint in die propria, sed transferri debeant.... iuxta Rubricas et intra annum non supersit ullus dies vacuus, in quo dicta festa reponi possint.... S. R. C. referente Emo et Rmo Dom. Card.

Litta, re mature discussa, declaravit eadem festa transferenda esse in proximiorem diem, etiam impeditum festo semiduplici aut duplici, quod illo anno redigatur ad ritum simplicem, firmis remanentibus ab ipsa Sacra Congregatione emanatis de festis inferioris ritus in simili casu non transferendis, sed ad ritum simplicem redigendis ».

Circa quod notamus: 1° decretum, etsi loquatur tantum de dupl. II cl., magis adhuc valere pro dupl. I cl., ut expresse docet De Herdt (*Tom. 2, n. 282 ad 3*); 2° idem decretum in suo robore permanere etiam post emendationem nuperrimam Rubricarum: sed quoad simplificationem officii, in cuius diem transfertur officium classicum, illa locum non habet, quando in eo reponitur dupl. I cl., ita disponente nova Rubrica *Tit. X, n. 1.*

Confirmatur modo clariori, si loqui fas est, per novissimum decretum. Redactor Kalendarii dioeceseos Viglevanensis petiit huius dubii solutionem, nimirum: « II. Quid agendum de festo Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apost. perpetuo impedito in Kalendario dioecesano, cum ei locus non suppetat? » Et S. R. C., exquisita Commissionis Liturgicae sententia, respondit: « Festum de quo agitur, ex communi lege ad instar simplicis perpetuo redigendum foret: verum de speciali gratia reponatur prima die a duplici minore libera, et festum semiduplex fiat simplex (*21 Febr. 1891*) ». Quod quadrat caeterum cum decreto *20 Sept. 1806 n. 4500 ad 1*, ubi illicita dicitur repositio duplicis maioris impediti, in festo duplici.

Hinc constat ex decretis duplex vel semiduplex perpetuo impeditum, et cui non est locus in Calendario, simplificandum esse cum nona lectione historica et commemoratione in utrisque Vesp. et Laud.

An autem possint huiusmodi festa anticipari, si ante eorum diem essent dies vacui? Decreta negant. Verbi gratia, *die 27 Aug. 1836, n. 4784*, Archiepiscopus Capuanus benigne declaranda proposuit: 1° an liceat anticipare perpetuo officia sub ritu duplici concessa, quae nequeunt celebrari diebus propriis ob occurrentiam aliorum sanctorum, et transferri haud valent ob deficientiam dierum, assignando ipsis dies circa initium anni? et quatenus negative, quomodo agendum? 2° an liceat in semidu-

plicibus haec duplicia perpetuo instar simplicium celebrare, ne prorsus omittantur? 3° an liceat festa semiduplicia instar simplicium celebrare, ut fiat de festo duplici translato? Et S. R. C. respondit: « negative in omnibus, et detur decretum *in una Ord. Capuccinorum diei 8 Mart. 1738* », ubi legitur: « quoties toto anni decursu de illis (Sanctis) celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos esse tanquam simplices ».

Item, quando ecclesia Cordubensis, in qua abundant officia, petiit an admitti debeant ea nondum admissa ibidem sanctorum officia, duplicia quidem, quae a S. Sede de praecepto in universa ecclesia recitari mandata sunt certis diebus, an vero omittenda sint, ne praeiudicium afferant antiquis officiis, quae plura numero, dato casu, ad legem simplicium reducerentur? S. R. C. respondit *13 Mart. 1804, n. 4489 ad 1*: « affirmative ad primam partem, negative ad secundam », concedens ex gratia « ut duplicia quae incidunt in Dominicas privilegiatas et in aliam diem solemniori festo impeditam, si desint prope anni terminum dies simplices aut feriales in quas transferri possint, tunc transferantur in diem festi semiduplicis, ita tamen ut de Sancto qui locum cedit, fiat commemoratio in Missa, Laudibus et utrisque Vesperis cum nona lectione historica ».

Denique S. R. C. in una *Ord. Min. S. Francisci* pariter indulsit ut S. Silvestri Pontificis festum die 31 Dec. perpetuo impeditum anticiparetur die 30 eiusdem mensis (*9 Mai 1884, n. 5911*); sed remanet firmum decretum *19 Iunii 1773, n. 4366 ad 7*, declarans festa duplicia, quae locum translationis non habent ob multiplicia festa de praecepto, nec esse omnino omittenda, nec esse anticipate celebranda diebus ultimis mensis Februarii, vel primis mensis Martii diebus non impeditis nisi de infra Octavam S. Margaritae Cortonae, vel initio Aprilis in diebus ferialibus; et decretum 7 Dec. 1743, n. 4150 ad 4, vetant illa transferri ad annum sequentem.

Pro coronide, S. R. C. die *16 Sept. 1893* Ordini Minor. Capucc. concessit ut officia quae privilegio translationis fruuntur et sunt accidentaliter impedita, nec tamen in dies liberas intra annum reponi possunt, quia huiusmodi dies deficiunt, transferri

valeant in dies festorum semiduplicium, ipsis semiduplicibus ad ritum simplicium redactis, dummodo nulla dies libera omittatur; et *die 10 Iulii 1896* interrogata 1. an extet aliqua lex statuens ordinem quo praedictae translationes fieri debeant in semiduplicia? 2. an fieri debeant in proximiora festa ritus semiduplicis iuxta decretum *in Pisauren. 12 Nov. 1814?* 3. utrum curandum sit ut quolibet mense una saltem dies libera supersit festi semiduplicis pro Missis votivis vel de Requie pro defunctis? S. R. C. respondit: « affirmative ad 1. et praestantiora officia, ut aliis praeferantur, in proximioribus diebus sunt reponenda, quamvis in his duplicia aut semiduplicia occurrant, haud obstantibus sedibus liberis postea subsequentibus, in quas alia minus solemnia officia transferantur; ad 2 provisum in primo; ad 3. affirmative iuxta alias decreta. (*Ephem. Liturg.* 1896 pag. 531). Eadem est ratio pro perpetuo impeditis, et ideo eadem legis dispositio.

III. Inter auctores primae notae, audi cl. Cavalieri (*Tom. I, cap. 6, dec. 5, n. 14 et 15*): « Anticipatio (impeditorum) aliqualiter concors foret usibus ecclesiarum Parisiensis, Turonensis, ac Ordinis Praedicatorum, quae teste Guyeto lib. 4, cap. 7, q. 4, in praecedentem anticipant diem officia quae sunt transferenda, quoties consequentes dies per unam pluresve hebdomadas festis occupantur. Quod longe commodius quidem videtur quam ea in longum tempus mandare. Consultius itaque quoque videtur festa quae in fine anni supersunt, in praecedentibus diebus anticipare quam ea in ritu deprimere, et quandoque etiam prorsus omittere. Verum cum in Breviario Romano usus huiusmodi anticipandi festa plane sit incognitus, eiusdemque Rubricae in primam *sequentem diem* non impeditam festa esse transferenda clamant *constanter ubique*, nedum arbitramur non esse anticipanda in *praecedentem diem* vacuam festa quae transferri debent . . . . . quoties alias intra annum locum amplius non possent habere. Qui enim romanus est, romano debet vivere modo. Ly igitur « toto anni decursu » solummodo denotat anni cursum per consequentes, non praecedentes dies ».

Pourbaix, in suo *Sacrae Liturg. Compendio* (Part. 2, n. 103), autumat: « festum forte transferendum, si nulla supersit

ante anni finem dies libera, in quo reponi queat . . . . . reducendum est ad modum simplicis, et de eo in propria die agenda est commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus cum nona lectione historica ad Matutinum Si autem impediatur alio festo duplici I classis, ne commemoratio quidem de illo agitur, sed eo anno prorsus omittitur. Iisdem igitur subiacet regulis ac duplicia minora et semiduplicia in propria die impedita ». In quo absolute concordamus cum illo; sed ad eiusdem differentiam, docemus festa I et II cl. sic impedita usque ad anni finem, reponi posse et debere in sequentem diem festo semiduplici aut etim duplici minori occupatam, et hoc duplex vel semiduplex commemorari, vel omitti etiam, si translatum festum gaudet ritu I cl.

Doct. Piacenza, alludens ad decretum *11 Mart. 1837* supra relatum, doctrinam in eo contentam sic confirmat: « Reformatae rubricae translationem quidem abrogavere duplicium minorum (non Doctoris) et semiduplicium, sed translationem duplicium maiorum et Doctorum ecclesiae adhuc admittunt. Quapropter in particularium ecclesiarum vel religionum Calendariis occurrere potest duplex I cl. cum duplici maiori aut Doctoris ecclesiae. Si autem dies vacua infra annum pro huius duplicis maioris aut Doctoris translatione desit, quid agendum de huiusmodi impedito officio? Omittendum forte dices? Minime gentium. SS. enim D. N. Leo Pp. XIII evidenter duplicia maiora et Doctorum, in proprio iure, quo antea gaudebant, omnino reliquit. Ergo allatum decretum adhuc in suo robore manet », et redigenda sunt ad ritum simplicis, in die propria, cum nona lectione historica et commemoratione in utrisque Vesperis et Laudibus, iuxta una verba decreti. (*Ephem. Liturg.* ann. 1887, pag. 669).

Item idem Doct. notat in sua *Expositione novissima Rubricarum* (Tom. 1, Tit. IX, n. 3, pag. 269), « quod licet in Calendario nulla dies libera inveniatur usque ad finem anni, nihilominus ex decreto generali *13 Mart. 1804* festum I cl. impeditum celebratur in die proximo a semiduplici festo inpedita, prout infra videbimus ». A. Carpo tenet eamdem sententiam *Part. 2, n. 151 ad 3*: « festa duplicia 1 et 2 cl., cum pro eorum repositione nullus adest usque ad anni finem dies vacuus,

. . . . . reponuntur in sequens proximius semiduplex, et etiam in eius defectu, duplex, quod illo anno redigendum erit ad ritum simplicem ». Sed eadem est lex pro perpetuo impeditis, ut recognovit S. R. C. *21 Febr. 1896 in Viglevan.* ad 2 supra cit. Vide etiam Levavasseur (*Tom. I. P. 3 n. 164*).

Ad haec autem compendifacienda, en De Herdt (*Tom. 2, n. 282*): « Officia semiduplicia et duplicia, quae sive perpetuo sive accidentaliter pro hac aut altera vice sunt impedita, et defectu diei vacui ante finem anni celebrari nequeunt, ad annum sequentem . . . non sunt transferenda, nec anticipanda, sed reducenda ad ritum simplicem, et in propriis diebus consideranda tanquam simplicia, cum eorumdem commemoratione in Missa, utrisque Vesperis et Laudibus . . . . Excipiuntur tamen duplicia I et 2 cl., quae in hoc casu transferenda sunt in proximam diem impeditam festo semiduplici et in huius defectu in proximum duplex, quod tunc ad ritum simplicem redigatur ».

IV. Omnis doctrina huc usque exposita confirmatur ex omni parte per rationem liturgicam. 1° Duplex simplificatum et semiduplex ad instar simplicis redactum non potest melioris esse conditionis quam si celebraretur. Porro, duplex celebratum deperdit suam quoque commemorationem in suis II Vesp. quando concurrit cum festo I cl. in sequenti celebrando (Non loquimur de die Oct. Corporis Christi, quae est exceptio firmans regulam), et Semiduplex celebratum item amittit suam tertiam memoriam, quando concurrit cum festo sive I sive II cl. Ergo non mirum est, ut in iisdem conditionibus concurrentiae duplicia et semiduplicia simplificata suam tertiam quoque commemorationem relinquant. 2° Summus Pontifex Leo XIII vult haec officia impedita tractari debere ad instar simplicis. Atqui ex *Tit. X, n. 8*, festum simplex nunquam transfertur: sed si de eo fieri non potest officium, fiat commemoratio . . . : si autem venerit in illis diebus in quibus de simplici nulla fit commemoratio, eo anno non fit de eo amplius. Ergo merito simplificantur duplex et semiduplex, quorum translationis non est locus in Calendario, et in suis propriis diebus commemorari debent, sed in utrisque Vesperis et Laudibus, quia simplificatio non minuit eorum ritum qui de iure pleno sibi vindicat duas Vesperas, nisi aliter accun-

dae impediantur. 3° Silentium, quod servat decretum 5 Febr. 1895 super Commemorationibus in Vesperis, relate ad duplicia I et II cl., confirmat exceptionem, qua illa gaudent ad non esse simplificandum, sed reponendum etiam in die impedita festo semiduplici vel duplici proximiori. Audi Doct. Piacenza in suo libro iam citato (pag. 324) : « Decretum loquitur de duplici maiori, quod licet per se transferibile sit, nihilominus si aliquando in fine anni desit dies libera, ad ritum simplicem redigendum est, sicut duplex minus et semiduplex ; ideoque in Dominicis Adventus non raro occurrere potest duplex maius, quod transferri non possit. De duplici I et II cl., prout suo loco videbimus, aliter dicendum venit. Cum enim impediatur, neque in fine anni aliqua supersit dies pro eius translatione, ius habet ut eius officium transferatur in diem semiduplicem, vel, hoc etiam deficiente, in diem duplicem. Impossibile ergo est quod duplex I et II cl. ad ritum simplicem redigatur, ac proinde in allato decreto nihil de eo dicendum erat ». Itaque reiicienda est opinio cl. Pourbaix docentis Part. 2, n. 103, festum transferendum, etiamsi duplex sit 1 aut 2 cl., si nulla supersit ante anni finem dies libera ad eius repositionem, reducendum esse ad modum simplicis sine ulla exceptione, et non obstante, inquit, unanimitate Auctorum in contrarium. Sed certe tenendum — sedulo animadverte hanc observationem Academiae Liturg. *16 Maii 1894* — S. R. Congregationi non esse propositum, ut duplicia aut etiam semiduplicia perpetuo redigantur ad ritum simplicem, et a fortiori ut a Calendariis expungantur, ut locus detur festis potioribus, etsi ritus classici, antequam indultum imploretur ad eius anticipationem, si possibile, ut vidimus supra. Aliunde, sicuti nulli privatae auctoritati licet nova in Calendariis festa addere, ita nec licebit festa duplicia et semiduplicia ex iisdem expungere vel etiam ad instar simplicium perpetuo redigere extra decreta. Quapropter in casibus difficilibus, quae possunt occurrere, hoc unum, ni fallimur, consilium amplectendum, S R. Tribunal adire, ab eoque quomodo se gerendum petere, nisi iam resolvantur per decreta supra relata.

A. Fournéret
ex Acad. Liturg. Romana,
Curé de Lamnes (diocèse de Langres).

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE SEPTEMBRI.

Diebus 19 Ianuarii et 1 Octobris, loco officii semiduplicis S. Canuti et S. Remigii (quorum officium est semiduplex *ad libitum*) persolvi ne potest, sive intra sive extra chorum, Officium **simplex** nempe de feria occurrente die 19 Ianuarii, et de S. Remigio die 1 Octobris, ad libitum Sacerdotum ?

APPENDIX

E SUPREMA S. OFFICII CONGREGATIONE

I.

Beatissime Pater.

Cum Sacerdos N. N. ad ordinem presbyteratus promoveretur, Episcopus ordinans formulam in porrectione instrumentorum paulum interrupit. Namque cum dixisset : *Accipe potestatem offerendi*, mox ad sacerdotem ministrantem conversus formam interrupit dicens : « Num adest aliquis defectus ? » Et Sacerdos ministrans respondit, « Non » : porro statimque Episcopus perrexit : *sacrificium Deo missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* R. *Amen.* Idem vero sacerdos ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter petit interrogatque pro sua quiete, num haec interruptio valori ordinationis noceat, atque quid in hoc casu sit faciendum.

Feria IV, die 20 Aprilis 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE.mis et RR.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE.mi et RR.mi

Patres rescribendum mandarunt: *Ordinationem in casu fuisse validam; ideoque acquiescat.*

Feria vero VI die 22 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Divina Providentia Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. I. Not.*

II.

Feria IV, die 20 Aprilis 1898.

Postquam per Decretum huius supremae Sacrae Congregationis in Feria IV, die 24 Novembris 1897, declaratum fuit facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliisque locorum Ordinariis concessas non suspendi eorum morte vel cessatione a munere, sed ad successores Ordinarios extendi, ad formam Decreti S. Officii Feriae IV, diei 20 Februarii 1888 pro dispensationibus matrimonialibus; propositum fuit eidem huic S. Congregationi dubium, utrum expediat in posterum eliminare Facultates *durante munere*, quae ut plurimum Vicariis Capitularibus conceduntur.

Porro in Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE.mis et RR.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, praefato dubio diligenter expenso, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE.mi ac RR.mi Patres rescribendum mandarunt: *Clausulam* **durante munere** *esse supprimendam et in ceteris standum formae Decreti iam lati die 20 Februarii 1888 num. 1.° et 2.°, at iuxta modum, idest:*

1.° « Facultates omnes habituales in posterum committendas esse Ordinariis Locorum. »

2.° « Appellatione *Ordinariorum* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apostolicos, Praelatos seu Praefectos habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarios in spiritualibus generales, et sede vacante Vicarium Capitularem vel legitimum Administratorem ».

Subsequenti vero Feria VI. die 22 eiusdem mensis Aprilis 1898, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Divina Providentia Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum Patrum adprobavit, contrariis non obstantibus quibuscumque.

I. Can. Mancini S. R. et U. I. Not.

III.

Beatissime Pater.

Episcopus Sinaloen., ad pedes S. V. provolutus, humiliter petit resolutionem insequentium dubiorum :

I. Eritne licita partus acceleratio quoties ex mulieris arctitudine impossibilis evaderet foetus egressio suo naturali tempore?

II. Et si mulieris arctitudo talis sit ut neque partus praematurus possibilis censeatur, licebitne abortum provocare aut caesaream suo tempore perficere operationem ?

III. Est ne licita laparotomia quando agitur de praegnatione extra-uterina, seu de ectopicis conceptibus ?

Feria IV, die 4 Maii 1898.

In Congregatione Generali habita ab EE.mis et RR.mis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE.mi ac RR. Patres rescribendum censuerunt :

Ad I. Partus accelerationem per se illicitam non esse, dummodo perficiatur istis de causis et eo tempore ac modis, quibus ex ordinariis contingentibus matris et foetus vitae consulatur.

Ad II. Quoad primam partem *negative*, iuxta Decretum Feriae IV, 24 Iulii 1895 de abortus illiceitate. Ad secundum vero quoad spectat : Nihil obstare quominus mulier de qua agitur, caesareae operationi suo tempore subiiciatur.

Ad III. Necessitate cogente, licitam esse laparotomaniam ad extrahendos e sinu matris ectopicos conceptus, dummodo et foetus et matris vitae, quantum fieri potest serio et opportune provideatur.

In sequenti vero Feria VI, die 6 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his omnibus SS. D. N. Leoni Divina Providentia Papae XIII relatione, SS.mus responsiones EE.morum ac RR.morum Patrum adprobavit.

I. C. Mancini, S. R. et U. Inquisitionis Not.

E SACRA CONGREGATIONE

Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praeposita.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Die 24 Maii anno 1898.

Cum propositum fuerit dubium, quinam nomine *Indorum* et *Nigritarum* in Litteris Apostolicis *Trans Oceanum* a SS.mo D. N. Leone Pp. XIII die 18 Aprilis 1897 editis, intelligi debeant, Eadem Sanctitas Sua, referente me infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, haec quae sequuntur censuit declaranda:

In praedictis Litteris Apostolicis *Trans Oceanum*, nomina *Indorum* et *Nigritarum* eadem significatione sumi ac in caeteris praecedentibus Constitutionibus pontificiis de hac materia agentibus, speciatim in Constitutionibus Alexandri VIII *Animarum Saluti*, diei 30 Martii 1690, et Benedicti XIV *Cum Venerabilis*, diei 27 Ianuarii 1757, videlicet:

1. Sub nomine *Indorum* et *Nigritarum*, praeter ipsos Indos et Nigritas, comprehendi etiam eos, qui ex Indo aut Nigrita et ex muliere Europaea (vel europaei sanguinis) nec non qui ex Europaeo viro et Indica vel Nigrita muliere sunt progeniti, ideoque *Mixti*, *Mestitii* vel *Mulati* vocantur, et absolutam medietatem sanguinis europaei habent. Non autem comprehendi eos, qui originem ab Indis vel Nigritis ducunt per avum tantum vel aviam, quique *Quarterones* dicuntur utpote quartam solummodo partem sanguinis indici vel nigritici habent; et multo

minus qui per proavum vel proaviam dumtaxat ab Indis vel Nigritis originem trahunt, et vulgo *Puchueles* seu *Pucuelles* appellantur.

2. Insuper, *Indorum* et *Nigritarum* nomine intelligi etiam Africanos, Asiaticos et Oceanios, dummodo ex europaeo sanguine non sint, ac in America Latina commorentur, quamvis in ea nati non fuerint.

Et ita Sanctitas Sua publicari et servari mandavit, contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die, mense et anno praedictis.

FELIX CAVAGNIS, *Secretarius*

S. Congr. Negotiis Ecclesiast. Extraord. praepositae.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.

S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarch. Antioch. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

Romae, Typis Fratrum Amoroso, Piazza della Torretta Borghese N. 22-25.